IACOBI

# GORSCII

PRAELECTIONVM PLOCENSIVM LIBER QVARTVS, DE VSV LEGITIMO Sacrosancti Eucharistiæ Sacramenti sub altera specie.

SIVE

*Reprehensio erroris eorum, qui Ecclesiam Romanam eo nomine accusant, quod communionem sub specie panis tantum populo dari antiquitus solitam, approbauerit & retineat.*






COLONIAE,
Apud Maternum Cholinum.
M. D. LXXXII.

*Cum gratia & priuilegio Cæs. Maiest.*

Romanæ Eccleſiæ, quæ ſola veritatis cuſtos integra eſt, iudicio ſubijcimus.

# AD SERENISSIMAM REGINAM POLONIAE, ANNAM IAGELONIAM, Dominam clementissimam

## PRAEFATIO.

*MAli né plus, an verò boni, pestilens hæc, quæ nunc in toto orbe Christiano acerbißimè deseuit hæresis, religionisq; puræ perturbatio, Serenissima Regina Domina mea clementißima, Ecclesiæ attulerit, nondum iudicare potui. Nam cùm multitudinem malorum, quæ indè nata sunt, quæq; in dies na-*

*es naſcuntur conſidero, nunquã grauiore in diſcrimine, Eccleſiam Catholicam, remq́ vniuerſam christianam verſatam eſſe video, & quaſi præſentem eius ruinam interitumq́ proſpicio: tot tamq́ acerbi hoſtes aduerſus eam armantur: ea conſilia contrà eam capiuntur: vt nulla ratione, non modò priſtinam illã dignitatem recuperatura eſſe videatur, ſed nec ſalutem & incolumitatem deinceps retentura. Non ſingulæ ſenſim certisq́ in locis enaſcuntur hæreſes, ſed turbæ vndique in Eccleſiam irruunt: non à paucis vt olim oppugnatur hæreticis, ſed integræ re-*

*regiones, integræ nationes, ea pestilentia infectæ, in eam armantur, ac hæreditatem Christi deuastant, templa Dei polluunt, prophanant, ac euertunt, quasi omnem memoriam Christi abolituræ, ac in vinea sua nullam radicem, vnde veritas renascatur, relicturæ. Multa mala populo Dei quondam Aßirij, multa Aegyptij, plurima Antiochus ille sceleratus, & alij impij reges, intulerunt: nunquam tamen tot regna, tanto consensu in eum populum impetum faciebant. Circumfer quocunque velis oculos, percurre cogitatione regna, principumque consilia, nihil*

*hil tibi occurret præter pernici-em Ecclesiæ Christi: non enim iam argumentis & verbis, sed armis, contenditur. Omnia bellis plena, mutuis vulneribus conficimur, ac tello parricidiali concidimus, grauius nobis discrimen impendet à nostris quàm ab externo hoste. Intestino malo vrgemur: non serui imperia dominorum ferunt, non liberi parentum. Quotus quisque regum & principum est, qui à domesticis, ciuibusq́ suis periculum non pertimescat? cõtra quem cõsilia non ineantur? contemnuntur legitima imperia, negliguntur magistratus, dis-*

*dissoluta illa maiorum nostrorũ disciplina. Excusso iugo Romanæ Ecclesiæ, quæ semper in officio orbem Christianum continuit, omnia sursum ac deorsum feruntur & miscentur, res quietæ turbantur, infinita dogmata pestilentis doctrinæ, nascuntur. Quod libido suadet, lex est: non nos legibus accõmodamus, sed nostræ libidini leges aptamus. Excussa omni reuerentia, abiecto pudore, quicquid libet licere nobis putamus. Non enumero plura, quæ violata religio, pestilensq́; & hæretica doctrina profuderit mala: infinita sunt incommoda, infinitis ma-*

*lis res christiana premitur, quo rũ omnium fons est, pestilẽs hæc, quam Euangelium quintum dixerunt, doctrina. Hæc illa est Epimethei pandora, è qua omnes pestes, à Martino Luthero primum aperta, euolarunt, ac in Romanam Ecclesiam emissa, totũ orbem infecerunt. Hinc fraudes, hinc rapinæ, cædes, adulteria, seditiones, ac ciuilia & intestina bella profunduntur. Effractis enim vinculis pacis, conculcatis legibus, dissoluta disciplina legitimo imperio neglecto, quid salui, quid sancti, quid sinceri esse potest? Quæ quidem incommoda, vel vulnera nostra*

*dum cogito, in eam sententiam descendo, vt credam discessionẽ istam à religione maiorum, & Ecclesiæ disciplina præsens excidium ecclesiæ esse, nihilq́; pestilentius, nihil humano generi, rebusq́; publicis, ac imperijs accidere potuisse, hac ipsa hæreticorum doctrina peruersa, atque quinto Martini Euangelio, à quo isti Euangelicos se vocari volunt. At cum rursus mecum expendo, qui mores nostrorum, quæ ignauia, qui luxus ac libidines, qui religionis contemptus, literarumqúe negligentia fuerit, antequàm hæc tanta tempestas in Ecclesia excitata esset,*

*quæ deinde Ecclesiæ præsidia eruditionis & literarum, ac morum conformatorum, prouenerint, non planè incommodè nobiscum agi, iudico. Excitati sumus ea tempestate à somno vitiorum nostrorum, non sinunt nos hostes Ecclesiæ torpescere, non sinunt luxu perire. Excitamur ad præsidia literarum, & eruditionis, bonarumq́ artium contra hunc hostilem impetum comparanda. Reuocatur disciplina, emendantur mores, studijs & ingenijs bonis premia proponuntur, vera religio in suum locum, vnde ignauia pastorū deiecta erat, restituitur.*

*Cer-*

*Certatur cum aduersarijs, & iusto cum eis decernitur bello, & qui superiores in omni contentione, religioneq́ & Ecclesia turbanda, inter ignauos illos, qui ocio, luxui, libidinibusq́ue mancipati erant, inferiores se esse agnoscunt, prædamq́ illam, quam ex inerti ignauia agebant sibi eripi, tropheaq́ sua euerti in dies vident, neq́ vllam aliam tuendi erroris sui rationem cernunt, præter vim, arma, & cædem. Nam scripturæ sacræ, qua deprauata, & in absurdos sensus detorta, Ecclesiam oppugnarunt, & sua dogmata apud rerum imperitos con-*

*confirmabant, præsidia paßim sibi eripi cernunt, neque fraudi suæ locum relinqui iudicant. De tractus enim lupis istis vestitus ille ouiũ, quo tecti in ouile Christi ingreßi, gregem eius dilacerarent. Agnoscũt oues alienas voces, agnoscunt non pastores, sed lupos esse, nihil præter rapinas, ac cædes, interitumq́ suum egregios istos viros, & cogitare & moliri perspiciunt. Excitata Ecclesia, præsidia eruditionis viros doctos ac pios, contra impetum eorũ opponit, atq; ea arma, quibus maiores nostri hostes suos horum luporum progenitores, & represserunt & euerterunt, expolit.*

*polit. Reuocatur disciplina maiorum, studia literarum excitantur, scholæ pietatis instituuntur: extirpantur vicia, virtutes serūtur, nulla dies est, quæ aliquid præsidij Ecclesiæ non afferat, numerus eruditorum, ac pietatis & veræ doctrinæ propagatorum, augetur. Nulla in nos iacula ab aduersarijs emittuntur, quin statim ea viri doctissimi vmbonibus eruditionis suæ, excipiant, excepta in eos ipsos aduersarios remittāt, ac armis eorum, ipsos conficiant, & pulcherrimam victoriam de hoste referant. Agnoscunt certè aduersarij, aliam esse aciem Ecclesiæ*

*siæ nunc, alios milites, & alia præsidia, quàm quæ fuerint, cũ illi veræ & auitæ religioni bellum indixissent. Vident vicia illa, quæ pax longa, opes amplissimæ: ambitionem, luxum, libidinemq́ ac progeniem eius ignauiam, serebant, extirpari: vident arma Christi detersa vitiorum rubigine fulgere, Machabeosq́ duces aduersus suos Antiochos, nomen Dei & Christi defedãtes, ac dogmata Apostolica, apostolicorũq́ virorũ traditiones euertẽtes, sumere & aciem fidelium instruere. Nec dubitant breui fore, nihilque iam obstare: vt quemadmodum olim*

*lim latronum illorum, quorum duces, Arrius, Fotinus, Nestorius, & aliæ pestes fuerunt, conatu sanctorũ patrum, q̃tum pro Ecclesia firmissimi & inuicti steterunt, non modo repressi, verùm etiam prorsus obtriti fuerunt: quin sua quoque audacia euertatur. Quod quidem fore inde colligunt, quod duces Ecclesiæ Romanæ, quos illi contemnere, & alio studio immersos, securè & absque vllo suo vulnere conficere, victoriamque ex illis reportare solerent, commutatos: & pro Albinis, Metellos, Scipionesq; Ecclesiæ præsidere, militũ suorũ mores reformare,*

*disci-*

*disciplinam maiorum, qua res christiana firmißimè semper stetit, reuocare, luxus tollere, ambitioni pennas incidere, auaritiæ & rapinarum impetus cohibere, ac omnia planè ad regulam apostolicam reuocare, omnemq́; occasionem, in qua isti suas explicarēt vires, tollere. Quæ cum isti videant, grauiter ingemiscant, vincendiq́; materiam sibi eripi indoleant, dubium non est. Nostra enim vicia, nostra ignorantia, nostra ignauia isti creuerunt, facile non repugnantes, ignauos, & inermes, vincebant: cōmutatis ducibus, reuocata disciplina, firmißimis præsidijs*

*ſidijs aduerſus ſuam aciem loca tis, pertimeſcant neceſſe eſt, multumq́ de ſuis cupiditatibus ac inſolentia remittant. Sed & illud peſsimè eos habet, quod apud nos, tantus virorum eruditiſsimorum numerus prouentat, tot libri eruditiſsimi in publicum prodeant, vt nihil apud eos dictum inueniatur, quod nõ planè refellatur; ac falſum & veritatis inane demonſtretur, ac obteratur; cum initio huius peſtis, præter vnum quod ſciam Eckium, qui cum eis paribus viribus congrederetur, & luctaretur, nemo inueniretur: cæteri enim ridebantur potiùs, quàm*

*argumentis aut ſcriptura confutabantur. Quamobrem non minus boni quàm mali tempeſtas iſta Eccleſiæ attulit: excitatis ingeniјs, emendatis moribus, lux religioni redditur, ac ſol veritatis Eccleſiam illuſtrat. Qui quidem ſol veritatis ne nobis occidat, ne nebula mẽdacis doctrinæ, nebulonumq́; perfidia inuoluatur, oculiſquè noſtris fraude hæretica eripiatur, Maieſtas veſtra ex eo in quo collocata, & regni ſolio proſpicit, authores tempeſtatis nebularumqúe hæreticarum comprimit, ne veritatis luci tenebras offundant, prouidet, & tãquam fugitiuos,*


*ve-*

*veritatisq; euersores auersatur, omnemque illorum & doctrinã & audaciam, ut pestem Ecclesiæ Catholicæ detestatur, Catholicam fidem fouet, ac solem veritatis, quem pestis illa inumbrat reducit, totumque suum studium, totam authoritatem Regiamque Maiestatem ad integrè religionem Catholicam conseruandam confert. Multa exempla & illustria testimonia huius study & contentionis M. vestræ paßim extant, quæ M. vestram & verum sanguinem, clarißimæ Prosapiæ Iagielonis & D. Sigismundi patris veram effigiem esse demonstrant, & ad*

*firmãdam religionem auitam, Catholicamq́ fidem conseruandam, multum adiumenti homi nibus nostris adferunt. Mouentur plurimi exemplo & authoritate Maiestatis vestræ; imitantur exemplum & studium pietatis, & verè esse dictum cõprobant: Ad exemplum regium totum componi orbem, eaq́ studia ciuium esse, quæ Principum in ciuitate & in imperijs fuerint. Multi nutantes exemplo M. vestræ confirmati, multi ab errore in quẽ præcipitati specie quadam pietatis desertorum veræ pietatis decepti, ad Ecclesiam redeunt, erroremq́ suum de-*

*detestantur, & synagogas pestilentis doctrinæ deserunt, in gremium eius Ecclesiæ, in qua splẽdor pietatis M. vestræ luceat, se recipiunt, vnitatem & consentientem doctrinam probant, Sacramentis communibus vtuntur, ac vno & consentienti ore nobiscum Dei laudes canũt, gratiasq; Deo Patri misericordiæ agunt, quod se ab insidiosa illa, & specie pietatis infucata doctrina liberauerit, & vt oues errantes, & interitui proximas in ouile suum, humeris suis reportauerit. Vnde fit, vt Doctores isti noui, desperato illo suo quæstu, cuius causa omnes excu*





*tiũt domos, ea loca quibus Maiestas vestra praeest deserant, & sua sponte locis illis, vtpotè suis rationibus & quaestui faciendo, libidinibusq́; suis exercẽdis, inutilibus & parum commodis excedant, in alijsq́ue regionibus prædas perquirant: ita quod alij armis efficere nequeant, Maiestas vestra, prudentia, pietate singulari, & planè diuina conseruandæ maiorum disciplinæ, & religionis Catholicæ constantia, non difficile perficit, & cum religione Orthodoxa pacem cõseruat, omniumq; incolumitati consulit, & nullam vim cuiq; adhibens in officio omnes retinet,*

*net, errantes ad viam veritatis reuocat, ac è faucibus Sathanæ erreptos Christo restituit, & in possessionem regni cœlestis reducit. Neq; illis qui ab Ecclesiæ vnitate recedentes, confœderationes nescio quas conficiunt, & quantum in ipsis est vinculum pacis, fidei vnitatem violant, molesta est Maiestas vestra, hoc vnum illorum consiliũ consilijs & contentioni opponit, vt nihil illorum voces M. vestram moueant, vt cum sua noua doctrina negligantur, vt apertè M. vestra illas doctrinas quas illi venditant, se nulla ratione probare posse demonstret,*

 *nul-*

*lumq́ locum in aula sua illis qui dissentiens aliquid à Catholica doctrina doceant, relictum esse monstret. Quod dum M. vestra facit, & religionem Catholicam sua pietate castam inuiolatamq́ conseruat, regni incolumitati consulit, & imperiū Maiestatemq́ suam firmat: euersa enim religione Catholica, solutis animis vinculo pietatis, licentiaq́ quiduis audendi hominibus data, quid est, quod homines cupidos, legum legitimiq́ue imperij impatiētis, in officio vllo retineat? & Regijs dictis subijciat? Pietas in Deum & animus religionis metu obstrictus, regij*

*regij imperij fundamentum solidum est, vera religione perturbata, maiestas imperij ruit: qui enim diuinas contempserit leges, qui non solùm diuis, verùm etiam ipsi Deo illudere non erubescat, nunquam principis cuiusquam iussa legesq́ metuet, nunquam maiestatem eius reuerebitur, tantum honoris illi tribuet, quantum cupiditatibus suis libidiniq́ suæ concedi viderit: nam vt primum ambitioni suæ libidiniq́, vel legum authoritate, vel regijs edictis decretisq́ obsisti viderit, vt insanus, & furens, & in legum sanctitatem, & in principis magi-*

 *stra-*

*stratusq́ maiestatem inuadet, armaq́ corripiet; omniaq́ diuina & humana miscebit. Cum igitur pietas religioq́ casta impe rij firmamentum sit, egregiè S. M. V. & regno vniuerso & M. suæ, religioni auitæ, & fidei catholicæ, moribusq́ antiquis tuendis, ac in suum locum reuocãdis consulit; hoc verum munus Regium est; hoc qui negligunt, fateantur necesse est, se quid sit imperium, & quid imperij autori Deo debeant ignorare. Pietate colenda, & Deo regni sui autore agnoscẽdo, Dauid regnum suum conseruauit, & posteris immotum stabiléq́ reliquit: vio-*

*la-*

*lata pietate, Dei præceptis neglectis, Saul regno excidit, ac cum tota prole miserè perijt: pietate colēda, fide Catholica & religione à maioribus tradita, Diuus Sigismūdus M. V. parēs regnū suū stabiliuit, in cuius solio quoniā S. M. V. singulari erga nos Dei bonitate collocata est: quod ille firmamentū Regni sui esse iudicauit, idē M. V. esse iudicat, exēpla eius diuina imitatur, Ecclesiā Dei tuetur, vineā Christi quam apri isti feri deuastant excolit, ac muros eius suæ Maiestatis authoritate reparat, hæreticásque feras ab ea excludit: agnoscit S. M. V. cui & quid de-*

*debeat, agnoſcit à quo habenas regni accepit, Deum caſtè & piè colit, regnum Chriſti firmat, pro quo vel vitam ipſam effundere non dubitaret, tantus S. M. V. ardor eſt, tantum ſtudium fidei catholicæ religioniſque à maioribus traditæ, quam pientiſsimus Rex Sigiſmundus S. M. V. pater, integrè caſtéq; coluit: nullas ille nouas doctrinas in ſuum regnum inferri paſſus eſt, edictis grauiſsimis propoſitis iuuentutem Polonam ex illis locis, in quibus Lutherana peſtis deſeuiret, reuocauit, & grauiſsimè edixit, ne quis liberos ſuos in eas Germaniæ vrbes, li-*

*literarum ediſcendarum cauſa mitteret, in quibus noua religio, nouumque quod iſti iactant Euangelium doceretur: qui ſuis edictis non parerent, ſtatim eos proſcripſit, & ne deinceps in regnum redirent, ſupplicijs propoſitis interdixit. Nota ſunt huius tantæ eius pietatis & religionis auitæ ſollicitudinis edicta, notæ in Comitijs regni vniuerſi denunciationes & leges cõſtitutæ. Erat ea quõdam pietas Polonorum, vt publice factis decretis pro fide Catholica Romanáque Eccleſia ſe obſtringerent, ac deuouerent: nullam peregrinam diſciplinam, non alia*

*quàm quæ à maioribus vnà cum hæreditate tradita accepissent dogmata, in hoc regno seri permiserunt, quod vt facerent, autores & duces piētissimos, & diuinos illos maiores S. M. V. vt publicè leges aduersus Bohemorum hæreticos latæ, luculenter testantur, habuerūt, & quæ tum omnium Polonorum studia religionis, qui ardor fidei catholicæ integrè castéq; conseruanda fuerit demonstrāt; quod studium catholicæ religionis, si perpetuò retentum à nostris hominibus esset, nunquam tot mala in hoc regno natá fuissent. Verum enim vero, cum primum*

*ex*

*ex hoc laboris & curarum ple-
no regno, Diuus Sigiſmundus
in illud felix ac beatum, omníq;
cura & moleſtia liberum regnũ
cœleſte, emigrauit, ac premia à
Chriſtò cum quo regnat, pieta-
tis ſuæ ac fidei catholicæ conſer-
uatæ, & contra furores Luthe-
ri legibus & authoritate maie-
ſtatis ſuæ armatæ, premijs hono
ratus eſſet, pietatis illius maio-
rum, ſtudia remiſſa ſunt, vitijs
noſtris aptas doctrinas quærere
cepimus, magiſtros auribus no-
ſtris prurientibus blandientes
quæſiuimus, ſeueritatem diſci-
plinæ excuſſimus, nõ nos doctri-
næ Chriſti accommodauimus,
ſed*

*ſed ipſam doctrinam libidini no ſtræ accõmodantes, verba Chriſti & diſcipulorum eius inſanis interpretationibus euertimus, ac in reprobos ſenſus delapſi ſumus. Quid enim Lutheri, quid Caluini, & aliorum nebulonum doctrina, quàm Euangelij IESV CRISTI in obſcœnos ſenſus cõuerſio, ac Satanæ regnum? deprauatis & ſuis, & aliorum hominum moribus perdita illa ingenia, ſeruiendo, doctrinam Catholicam euerterunt, ac omnia perturbarunt; quàm eorum impiam doctrinam quaſi vnà cũ Diuo Sigiſmundo pietate vera, & virtute maiorum noſtrorum*

*rum*

rum extincta, non ſolùm in viſcera regni admiſimus, verum etiam honores peſti illi propoſuimus, & contrarijs maiorum noſtrorum pientiſsimorum hominum cõſtitutionibus, nouis confœderationibus (quæ cõiurationes potius dicendæ ſunt) communiuimus, ac pientiſsimis manibus, & inuictiſsimi regis STEPHANI coniugis M. veſtræ & tuis Sereniſsima Regina, manicas illas impietatis plenas iniecimus, ne eas aduerſus feros apros, vineam Chriſti vaſtantes, liberè exercere vobis liceat, exclamat impia illa coniurationis contra religionem maiorum

*turba, vim sibi fieri, iurisiurandi sacramētum per M. vestras datum non seruari, se liberos esse, licere cuiq; quam vellet fidem sequi, ac sibi condere nouas credendi leges, & noua sacra, nouosq; ritus constituere, quasi verò dissensionis & diuersæ doctrinæ Christus autor fuerit, quasi non vnum omnibus Euangeliū dederit, quasi diuersas oues ex varijs pascuis in vnum ouile nō adduxerit, quasi non vnum pastorem, & vnum ouile se facturum testatus non sit: vnitatem fidei vas Christi electum Paulus à nobis postulat, idem sapere, idem sentire, & docere nos iubet,*

*bet, vnam fidem, vnum baptisma, vnũ Christum esse clamat, non aliter Corinthium, quàm Romanum, quàm Hebræum, Græcum & Barbarum credere vult, omnes vnum & idem esse in Christo docet, doctrinas peregrinas prohibet, sua verba deprauantes, & ad libidines suas tuendas torquentes reprehendit, vnum Christum, vnam fidem nobis vbiq; inculcat, neque vt quis velit credere & viuere suos patitur: grauiter Corinthios castigat, quod quendã inter se ferant, qui contra omnem sensum, & consensum piorũ, suamq; doctrinam, vxorem pa-*

 *tris*

*tris ſuo connubio iunxerit, thorumq; patris violauerit, cui nō ſolum non dat poteſtatem & viuendi & credendi vt vellet, ſed eum Eccleſia exturbat, & ſatanæ tradit, cur ille non dixit vt noſtri ſolent? Liber ſum, liberum eſt me & credere, & viuere, vt volo, ſatis eſt quod credo in Chriſtum, ſufficit mihi fides mea, non confugit ille quanuis improbus & libidine æſtuus fuerit, ad has impudentiæ plenas voces, ſed errore agnito ad pœnitentiam verſus, ad Pauli pedes ſe abijcit, ad Eccleſiæ clementiam confugit, veniam ſceleris admiſſi precatur, non no-*

*uas ſynagogas, in quibus libidines ſuas tueatur fabricat, ſed veteri Eccleſiæ vnde eiectus erat, ſe reſtitui poſtulat, at nos in vicia delapſi veram Eccleſiam, fidemq́ Catholicam ſtatim deſerimus, ſynagogas condimus, ſcelerum aſſertores, & libidinum lenones, doctores nobis conſtituimus, qui deprauatis Apoſtoli verbis, impudentiam noſtram alant; ac ſceleribus noſtris patrocinentur: hoc ne vnquam in hoc regno fieret, Diuus Sigiſmundus pater tuus, Sereniſſima Regina vigilabat, grauius in hoc genus hominum animaduertendum cenſebat, peſtem tã-*

*tam procul à suis sedibus amouendam inducebat: quod idem M.V. & sentit & facit, ac parentis sui, vt in cæteris virtutibus eius exprimendis, ita in pietate catholicaq́ fide tuenda vestigijs eius pleno gradu ingreditur, cuius studio tanto, & tam egregiæ voluntati, si hi, qui debent se adiungerent, & M. V. ducem contra impia dogmata sequerentur, armaq́ cōtra hāc pestem sua corriperent. latera M.V. pietatis doctrina armati circumstarent, dubium non est, quin hostes isti religionis auitæ Ecclesiæq́ Catholicæ ac Romanæ terga verterent, castra sua dese-*

*deſererent, ac toto regno hoc excederent, poſſeßionemq́; fidei Catholicæ nobis tutam & integrã relinquerent, in qua ignauia noſtra ſe iactant, veritati inſultant, & impunè vineam Chriſti depopulantur; quorum impetus vt M.V. retardaret, quoniam ſe ducem nobis profeſſa eſt, quod mearũ partium erat, quas tuendas in Eccleſia Plocenſi ſuſcepi, præſidia contra hoſtes hos negligere nolui, & quæ contra impetus eorum arma paraui, ad S.M.V. affero, eaq́; vnà mecum M.V. offero, quæ vt M.V. benignè à me fideli ſubdito ſuo capere, vtq; & ſtudium meum ve-*

*ræ religionis tuendæ, & obseruantiæ meæ perpetuæ, ergà M. vestram, Dominam meam clementissimam, in meliorem partem accipere & interpretari dignetur rogo. Sunt autem quæ ad fero cõtra hostes Ecclesiæ & veritatis euersores arma, disceptationes meæ, de vsu legitimo sacrosancti Eucharistiæ Sacramẽti, sub altera specie: nam cum viderem grauius Romanam Ecclesiam ab aduersarijs nostris accusari, & vel errorem eius, vel maliciam reprehendere, quod cùm Christus in vtraque specie in cœna illa suprema cum duodecim accumbens vsum Eucharistiæ*

ſtiæ inſtituerit & Paulus apertè idem Corinthios doceat, Romana Eccleſia calicis vſum populo neget, ſola ſpecie panis, contentum eſſe iubeat, aliamq́ doctrinam quàm quæ Chriſti & Pauli ſit, doceat, nullumq́ finem Eccleſiæ Romanæ, cum propter alia, tum verò eo nomine maledicendi faciunt, ac facile rudibus rerum & multitudini imperitæ Romanos vel ignorantia Chriſti doctrinæ errare, vel malicia ſua, & inuidia quadam, populo integrum vſum Euchariſtiæ Sacramenti adimere perſuadeãt. Atq; in hoc loco quaſi in munitiſsima arce aduerſus Romanã

*Ecclesiam se iactent, & tanquã in specula veritatis constituti, quæ Romana Ecclesia vel non vidit, vel populo inuidit, se vidisse glorientur, ac seriò in hoc loco triumphent, verbis Christi & Pauli nos tanquam mortiferis iaculis impetant, iactantiam istam eorum non ferendam, pro meo officio iudicaui, & quæ mihi vel scriptura ipsa sacra, vel Ecclesiæ perpetua & Apostolica traditio, consuetudoq́; & vsus huius sacramenti continens exempla à maioribus prodita, præsidia suppeditarunt, aduersus eos producere volui, ac illorum clamoribus,*

bus, quæ & pro nobis facerent, & illis aduersa essent, in vnum hoc volumen collata obijcere, et quasi machinas præsidijs eorum admouere, vt iactantiam istam eorum imminuerem, Romanãque Ecclesiam vt in omnibus semper, ita in dispensando mysterio sacrosancti Eucharistiæ sacramenti legitimè agere docerem: quod quidem certamen nõ temerè suscepi, nec temerè munitiones eorum subij, sed ad patres sanctos & consuetudinem Ecclesiæ antiquitus receptam me retuli: atq; inde arma corrogaui, inde machinas quas turribus istorum admouerem, & quàm va-

*valida arx ea, in qua isti se iactent, fuerit, & ipse experirer, & alijs monstrarem petij, In quo apparatu & quasi expeditione, amplissimus vir Claudius de Sainctes, Ebroicensis Episcopus præsto mihi fuit, & suis armis quibus pro Eucharistiæ sacramento depugnat, me indu it, ac multa argumenta ad erro rem aduersariorum couellendũ mihi suppeditauit. Est enim in hac materia defendenda copiosus. Habebam iam aliquot antę annos, nonnulla ad eam rem defendendam parata argumenta, disserui publicè in Plocensi Ecclesia de vsu legitimo sacrosan-*

*ſancti Euchariſtiæ ſacramenti, quæ dum cum Claudianis confero, & ſi non inutilia ad hoc certamen eſſe viderem, & ex eadem fabrica, vnde & Claudius petebat, deprompta eſſent, pauciora tamen præ ea copia, quam apud eum reperi videbantur. Auxi igitur curtam meam ſupellectilem, quæ arma mea ac milites meos aduerſus eorum iactantiam deductos, qui vſum alterius ſpeciei iugulare contendunt, noſq́; niſi biberimus ſanguinem & mãducauerimus carnem Chriſti, vitã nunquam habituros clamant, Romanoſque nulla ratione ſuam aſſertionem*

*tueri*

*tueri posse contra se, glorientur, vt Maiestas vestra inter suos milites, & Catholicæ religionis propugnatores receptos, in castris pietatis suæ stipendia facere permittat, plurimùm Maiestatem vestram rogo. Cuius me patrocinio cum meis studijs totum trado, ac omnia fausta illi precor.*

AD

# AD LECTOREM.



*N ancipiti prœlio me stare video, Lector candide: Dum enim arma in aduersas acies infero, mei me commilitones à tergo aggrediũtur & nescio quibus suis armis me appetunt, & meam impressionem retardare conantur. Quod vt faciant, non aliam causam cogitare possum, quàm pestem illam communium studiorum, & benè de genere hominum merendi conatus, inuidiam. Quæ tamen pestis non solum vnquam meas contentionis non peremit, sed etiam acrius calcar mihi, ad maiorem contentionem, melioresq̃; conatus subdidit. Ita fit, vt & me illi ad meliora incitent, & seipsos aperiant, suiq̃; reprehendendi, eruditis & bonis viris præbeant occasionem. Ego equidem hoc ago, hoc cogito, ne vnquam & studijs publicis propagandis, & fidei Catholicæ tuendæ, & in sua castitate conseruandæ desim. Illi viderint, quid vnquam præstiterint: libenter ab illis meliora & doctiora recipiemus. Quæ dum illi aut premũt, aut moliuntur, permittant lectores pios, rudiores præsertim, nostris laboribus frui: melioribus illorum hæc nostra facilè cedent, quæ nihil nisi quod patres senserint, quod consuetudo longa probauerit,*

*quod*

*quod Ecclesia frequentauerit, habent. Quæ scribimus protracta, & è patrum scholis producta sunt. Habes lector in hoc libro argumenta, quibus vsum alterius speciei Sacrosancti Eucharistiæ Sacramenti ab aduersariorum impetu defendas, & non Romanam Ecclesiam errare in hoc loco, sed aduersarios legittimum vsum traditionemq́; patrum maliciosè calumniari, errantibus & deceptis ostendas. Vale & nostros conatus boni et æqui consule.*

IACO-

# IACOBI GORSCII PRAELECTIONVM PLOCENSIVM LIBER QVARTVS, DE VSV LEGITIMO Sacrosancti Eucharistiæ Sacramenti sub altera specie.

*Exordium enumerandis fructibus Eucharistia confectum.*



AEPE apud vos de sacrosancto Eucharistię Sacramẽto verba feci: sæpè de eius commodis & fructibus, quos nobis pariat, apud vos disserui: sæpè pluribus verbis, vos ad eius vsum frequentiorem cohortatus sum. Quod quidem propterea feci, quòd viderẽ non paucos esse, qui aut non ita de eo, vt par est, sentirent; aut remissiores in eius vsu essent, nec qui in eo thesauri, tanquam in vase fictili, à Christo do- 2.Cor.4.

 mino,

mino, vitæ nostræ recuperatore, conclusi latcant, cogitarent. Hanc igitur animi vestri remissionem vt excitarē, & segniciem vestram, in re tam præclara, tantisque commodis affluente, vobis excuterem: amplissimam possessionem, huius hæreditatis à Christo (qui nos voluntariè Deo patri, filios, verbo veritatis suę genuit. qui hæredes patris, suos verò verè cohæredes esse voluit) nobis legatæ demonstraui. Et quidem huius nostræ hæreditatis ea ratio est, vt quantò ea sæpius vtáris, tantò tibi vberiores fructus proferat. Vtendo hæc possessio retinetur, vtendo excolitur: frequens eius vsus, immensas opes parit, cosumendo crescit: frequentem eius vsum si omittas, obsolescit, & nostra negligentia sterilis redditur. Si igitur hæreditatis tantæ, à Christo nobis suo testamento donatæ, commodis, vberioribusq; fructibus frui volumus, si feracem nobis esse cupimus: si non assiduè, at frequentiùs tamen in ea versari: ac non solùm versari, verumetiam splendidè conuiuari debemus. Inexhaustus hic

*Iacob.1.*

*Rom.8.*

est

est thesaurus: quantò plura indè depromis, quanto in plures, & tuos, aliorumve vsus cum effundas, tanto plenior inuenitur. Nec alia ratio certior est, ad comprobandum Dei patris nos veros hæredes esse, & Christi cohæredes, firmior, quàm frequens huius sacramenti vsus. Filiorum est paternis fructibus pasci, paternæ mensæ accumbere: conuiuio siquidē huic sacratissimo & diuinæ mensæ, nonnisi legittimi filij adhibentur. Parum ergo dignitatis tibi putas accedere, si sæpius cum patre Deo, & cohærede fratreq; tuo Christo accumbas? cum eo vna cibum capias? non solùm humanitatis eius, sed & diuinitatis eius particeps fias, planeque cum illo in vnum corpus coalescas? Qui enim ita vt decet, ex hac mensa cibum capiūt, vnum cum Christo corpus efficiuntur, vitam æternam consequuntur, Christum intra sua viscera fouent, per quem Deo patri reconciliantur, & ex seruis perditis filij charissimi fiunt, pacis, tranquillitatisque studiosissimi redduntur: ac vt cum Christo, qui ca-

*Eucharistiæ sacramentū, vsu frequenti non consumitur, sed augetur.*

*Filiorum Dei signum.*

*Eucharistia Christo nos coniungit.*

*Fructus Eucharistiæ.*

*Ephes. 5.* put est Ecclesiæ, ita inter se in vnum corpus coalescunt, vsu frequenti tremendi huius sacramenti, contra vim & impetus hostis nostri Sathanæ armamur, vsu eius inuicti efficimur, peccato resistimus, memoriam Dei patris, tot tantorumque beneficiorum, & filij eius Christi Iesu, mortem recolimus, mentesque nostras à cœno vitiorum, & mundi huius cupiditate, erectas, in cœlum tollimus, diuinaq; illa & inperscrutabili maiestate Dei perfruimur. Hic cibus nos Christo cōiungit, hic cum à nobis nusquam dimoueri patitur: per hoc sacrosanctū sacramentum possessionem hæreditatis nobis donatæ, retinemus, per hoc & animi & corporis commodis augemur. Hoc enim sacramentum, animos nostros diuina gratia complet, virtutibus exornat, æternos, & à morte immunes efficit. Hoc sacramentum cum ea dignitate, quam Christus in nobis requirit, sumptum, vires non animi solum, sed corporis etiam fulcit, morbos sanat, & à morte illa, à CHRISTI seruo aliena,

*Eucharistiæ vsus morbos etiam corporis sanat.*

liena,liberat,dæmones effugat, cogitationes pias pectoribus infundit, euersa consilia, & improbas cupiditates euertit. Festinemus igitur ad hanc sacram mensam, quam virtutes cœlestes circumstantes tremunt: vescamur eo in quem angeli prospicere desiderant: hauriamus sanguinem illum Christi, quo chyrographum nobis aduersum deleuit, quo nos emundauit, & à morte perpetua illa & horrenda redemit, quo à peccatis emundatos Deo patri nos tradidit. Cibus hic & potus noster in dextera Dei patris super omnes cœlos positus est. Hoc cibo saturati, nunquam deficimus, ipsos cœlos etiam penetramus, in lucem illam diuinam & inaccessam, mentem inferimus, cœlestisque gloriæ possessionem, & regnum æternum consequimur. Quamobrem meritò deploranda calamitas eorum est, qui hæc tanta mysteria negligunt, qui tantam Dei & Christi gratiam non agnoscunt, sathanæ tyranno vltrò manus tradunt, ac suarum potius miseriarum hæredes, quàm Christi felici-

*Chrysostom. in Epistola Ephes. 1.*
*1. Pet. 1.*
*Col. 2.*

*Negligentes Eucharistiæ vsum quibus malis puniuntur.*

tatis esse malunt, & ad tantam, tantisque bonis cumulatam, mensam, libidini huius mundi immersi, cupiditatibus oppressi, venire vel negligunt, vel omnino nolunt, nunquam deinceps huius cœnæ participes futuri. De quibus quia sæpè alias diximus, eorumque euersam mentem vna vobiscum deplorauimus, nunc pluribus agere nolo. Ad eos veniam qui Ecclesiæ institutum, mensæque huius diuinæ, eam rationem qua nunc Ecclesia vtitur, reprehendere soleant, ac mirari se dicant, qui fiat, cur, cum Christus mensam suam ita instruxerit, vt carnem suam vna cum sanguine suo, in extrema illa cœna, in qua nouum testamentum, morte sua consecratum, obsignauerit, discipulis, cum quibus tum discumbebat, apposuerit, nos carnem eius solam, calicis vsu ab ea amoto, populo Dei apponamus, ac altera parte sacrosanctæ cœnæ huius eũ defraudemus, & integrum sacramentum ei inuideamus. Et equidem sunt plurimi, qui nos non dubitent impietatis eo nomine reos agere, qui instituṭum

*Luca 14.*

*Totius disputationis summa proponitur.*

*Aduersariorum querela de vsu sacramenti sub altera specie.*

*Matth. 26.*

tutum Christi inuertere audeamus, & propter eam causam malle se omnino vsu huius mensæ carere, quàm ab instituto magistri nostri Christi discedere, virtutis Dei, mysteriorum Christi, & institutorum Ecclesiæ, ac spiritussancti, ignari.

*Ignorantia aduersariorum.*

*Quicquid Ecclesia statuit, Spiritu sancto docente statuit. Spiritus sanctus quod Christus docuit explanat, non alia dogmata, quàm quæ Christus tradidit, tradit.*

*CAP. I.*

QVasi vero sancta illa & Catholica Ecclesia, in quam Christi alumni & conuiuæ Apostoli, suo in Symbolo se credere professi sunt, Christi doctrinam euertat & non potius ea quæ Apostoli, Christi mensæ accubantes, capere non poterant, spiritu sancto, quem Christus à se missum, omnia ea dicta sua, quę illi non caperent, explanaturum promiserit, planè informata, mentem & voluntatem præceptorum ac verborum Christi sensum edoceat, atq; explanet. Vbi enim

*Apostoli in Ecclesiam credunt.*

*Ecclesia Christi verborum sensus spiritu sancto edocta explanat.*

& per quem paracletus ille, quē Christus promisit, præter Ecclesiam docuit? In Ecclesia ille consedit, in Apostolos illapsus, ore eorum locutus est, neque doctrina spiritussancti vna cum Apostolis extincta, nec ille, perfunctis munere suo Apostolis statim quieuit: viget in Ecclesia, docet cœtus fidelium, quam Apostoli in fundamento Christo Iesu Ecclesiam fundarunt, perpetua est, in illa regnat spiritus sanctus, per quem Christus, vt promisit, nobiscum in perpetuum manet. Docet igitur nos Christus per Spiritum sanctum veritatem suam: quæ Ecclesia sancta & Catholica docet, Spiritussanctus docet, Christus Iesus docet. Non enim à seipso Spiritussanctus loquitur, id loquitur quod à Christo accepit, vt & Christus nonnisi quod à patre acceperat, docuit. Eadem hæc doctrina est, ex eodem fonte hausta, in eadem Ecclesia Catholica & Apostolica perpetuo retinetur, quæ non verborum sono, nec litera illa occidente, sed sensu, & spiritu vitam excitante, consistit. Ea Ecclesia docet, decer-

*Spiritussanctus Ecclesia in æternum viget.*

*Christus Ecclesiæ fundamentum.*

*Matt. 28.*

*Ioan. 16.*

*2. Cor. 3.*

cernit, ſtatuit, quæ Spiritusſanctus dictat. Verba quidem Chriſti audierunt Apoſtoli, ſenſum verborum & voluntatem Chriſti non capiebant: Quamobrem ſæpe verba illa ſibi interpretari poſtulant, & plane quid Magiſter dicat, ſe intelligere negant. Quod igitur illi non intellexerunt, Chriſtus per Spiritum ſanctum, nobis & illis explanauit, & mentem ſuam Eccleſiæ Apoſtolicæ aperuit. Neque enim putandum eſt, Chriſtum aliquid prætermiſiſſe docendis Apoſtolis, ſine quibus vita noſtra conſiſtere non poſſet, vel eius legationis quam à Patre ad nos protulit, occultaſſe, quod poſterius Spiritus ſanctus, vt nouum & Apoſtolis inauditum doceret: omnia illa arcana, quę à Patre audiuit, cum quibus ad nos venit, Apoſtolis aperit. Et propterea eos non ſeruos, ſed amicos ſuos vocat, quod omnia quæ audiuerit, & viderit apud patrem, eos docuerit, ac nota eis eſſe voluerit. Et propterea in cruce ſtans, ſpiritum Deo patri traditurus, exclamat, omnia quorũ cauſa venerat, impleta & conſummata

*Lucæ 8.*

*Chriſtus nihil docendo prætermiſit.*

*Ioan. 15.*

*Ioan. 19.*

 eſſe,

esse. Quid igitur Paracleto illi, quem Apostolis promisit, à Patre se missurum, docendum reliquit? Eorum scilicet quæ à se audierunt, & quæ viderunt, non tamen intelligerent, interpretationem, sensum, & voluntatem, quæ in illa litera, quæ circumsonaret aures, latebant, quam Apostoli absq; interprete Spiritu sancto, nec videre, nec comprehendere possent: verba
Ioan.6. quæ Christus dicebat spiritus sunt, hoc est, sensus spirituales habēt, quos sensus nonnisi Spiritus sanctus demonstrat. Et propterea cum vellet eorum mentem aperire, vt se agnoscerent, ac mysteriorum quæ exegerat
Ioan.20. rat capaces essēt, inflat in eos, & Spiritum sanctum capere eos iubet. Tum demum illi capaces arcanorum & doctrinæ Christi facti, cum Spiritum sanctum arcanorum Christi interpretem receperunt: tum scripturas quas nunquam didicerant, Prophetarumq; oracula de Christo, & ipsi intellexerūt, & turbę ad se ruenti interpretati sunt.
1.Pet.1. Quod cum Petrus agnosceret, temerè verba Prophetarū arripientes, monuit,

nuit, non eos ſenſus eorum eſſe quos illi putarent, quos litera ſonaret, ſed quem Spiritus ſanctus, quo inſpirante Prophetæ locuti ſunt, dictaret. Qui quidem Spiritus ſanctus quoniam in Eccleſia Chriſti locum æternum tenet, qui in ea viget, & alter paracletus eius eſt, ſenſus veros & voluntatem Dei, & Chriſti Ieſu ei aperit, dogmataque vera profert, Chriſti verba quo ſenſu accipienda ſint, docet, arcanaq; eius & Dei patris explanat. Neq; huic noſtræ ſententiæ obſtant verba illa Chriſti: Adhuc multa habeo dicere, quæ non poteſtis modo portare, quibus gnoſtici ſua illa abſurda dogmata, & Chriſti diſcipulis inaudita confirmare contendebant, dicentes ſe ea à Spiritu ſancto, quem Chriſtus à ſe prætermiſſa docturum apoſtolos promiſerat, accepiſſe, cum Chriſtus dicat Spiritum ſanctum non niſi quod à ſe audierit, eis enarraturum, & quicquid diceret à ſe accepturum, verborumque ſuorum arcana, & veritatem ſub littera latentem in lucem producturum, mentes Apoſtolorum, vt capa-

paces essent verborum suorum, aperturum, non noua dogmata allaturũ. Non enim, inquit Cornelius Iansenius, multa hæc quæ Christus dicere haberet, & quæ Apostoli portare non poterant, diuersa quędam erant ab his, quę hactęnus ipsos dominus præsens docuerat, sed eorundem clarior & plenior explicatio, sicut cum Paulus dicit Corinthijs: Non potui vobis loqui quasi spiritualib⁹, sed quasi carnalibus, tanquam paruulis lac vobis potum dedi, non escam. Sapientiam autem loquimur inter perfectos: non vult significare, se alia docere perfectos quam imperfectos, cum vtrisque eandem prædicaret fidem, sed quod suæ prædicatiõis & fidei mysteria perfectiùs aperiret perfectioribus, sermonemq; suum aptaret audientium capacitati. Inter multa autem hæc, quæ tunc non poterant portare Apostoli, etiam illa censeri possunt, quę ad curam pastoralem, & regimen, ac dispositionẽ Ecclesiæ, pertinebant. Hæc enim vt per aduentum Spiritus didicerunt, ita tunc non poterant intelligere,

gere, cum nec ſtatum Eccleſiæ & regni Chriſti, tunc poſſent intelligere. Hæc & plura Cornelius, vt prætermittam nunc ea, quæ Chryſoſtomus in ea verba ſcribit, & quorum Auguſtinus nō vno in loco lectorē admonet, quomodoque hæc Chriſti verba accipienda ſint oſtendat. Beda plàne indicare videtur, quæ Spiritum ſanctum Chriſtus Apoſtolos docturum promittat, & quorum illi tum capaces non eſſent, afflictiones & ipſorum diſcipulorum, & Eccleſiæ & regni cœleſtis myſteria eſſe, non noua dogmata. Et quidem Chriſtum cum hoc ſacramentum inſtitueret, & Apoſtolis menſæ ſuæ accumbentibus daret, vtraque ſpecie panis & vini vſum eſſe, non ſolum non negamus, ſed planè profitemur. Ita enim & Euangeliſtarum hiſtoria de Chriſti cœna teſtatur, & eam cœnandi formam Corinthios ſeruaſſe, Pauli verba in priore epiſtola non obſcurè docent: veruntamen hanc rationem, qua Eccleſia vtitur, alienam eſſe ab inſtituto Chriſti & voluntate, pernegamus, & Spiritum

*Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22.*

*Forma qua Chriſtus vſus in cœna.*

*Vnius ſpeciei communio, nō eſt contra formā à Chriſto inſtitutam.*

ritum ſanctum voluntatis ac Myſteriorũ Chriſti, interpretem eius rationis in Eccleſia Magiſtrum eſſe, aſſerimus. Magiſter enim hic, quomodo Euchariſtiæ ſacramẽtô in extrema cœna inſtituto, & Apoſtolis commendato Eccleſia vteretur, vt cætera omnia docet, nihil aduerſi Chriſto inſtituẽs, ſed eius voluntatem & ſenſus de eo ſacramento nobis aperiens. Quid igitur docuit? Non minus eſſe legitimũ vſum huius ſacramenti, ſi ſub vno elemento, ſiue ſub vna ſpecie elementi, Chriſti fidelib⁹ tradatur, quàm ſi in vtraq; ea parte, vt ille apoſtolis in cœna ſua tradidit, offeratur. Quam quidem ſententiam & interpretationem inſtituti & verborum Chriſti, veram, & à Spiritu ſancto profectam, nõ multis quidem, neceſſarijs tamen argumentis oſtendemus.

*Sub vna ſpecie vſum ſacramenti Euchariſtiæ legitimũ eſſe.*

Si enim eam voluntatem & præceptum Chriſti immotũ, Apoſtoli, Apoſtoliciq; viri, eſſe ſenſiſſent, nunq̃, aliter eo ſacramento vſi fuiſſent, nunquam vnam tantum ſpeciem eius ſacramenti populo obtuliſſent, nunq̃

ſan-

anguinem sine carne Christi, carnem
ine sanguine fidelibus exhibuissent.
Tenaces erant illi præceptorum Chri
ti, hærebant eius verba in pectoribus
orum, nihil aliud prȩter voluntatem
lomini sui meditabantur, à præcep-
is magistri huius nusquam declina-
ant, Christum solum sonabāt, Chri-
ti dogmata sequebantur, è vita po-
ius discedebant, quam ab eius præce
to & voluntate, vel latum vnguem
vt dici solet) deflecterent. Atqui quis
andem ita rerum sacrarum rudis est,
ui pietate præstantissimos, & sacræ
cripturæ peritissimos, & Ecclesiæ san
æ columnas, virosq; Apostolicos,
: qui sua dogmata sanguine suo, pro
hristo domino profuso obsignarūt,
gnisque & prodigijs, & dum viue-
t & Ecclesiæ præessent, & cū in Chri
o obdormiuissent comprobarunt,
nius speciei vsum huius sacrosancti
cramenti in suis Ecclesijs frequen-
m fuisse, testari nesciat. Quem v-
m non solum non improbarunt,
d etiam laudarunt: neque à se pri-
um hanc rationem institutam esse,
sed

*Apostolorum & Apostolicorum virorum ardor erga Christum.*


*Vsum vnius speciei in Ecclesia semper probatum fuisse, patres testantur.*

ſed à maioribus ſuis & Apoſtolis, Eccleſijs traditam, & ſerie quadā ætatis ac ſucceſſionis ad ſua tempora deductam fateantur. Quod quidem ita eſſe, vt dixi, eorum ipſorum Catholicæ Eccleſiæ columnarum, qui dum hæc agerentur, non interfuerunt ſolùm, ſed etiam præfuerunt, cum ipſi, vt verbi diuini, ita ſacramentorum diſpenſatores & diſciplinæ maiorum, inſtitutique patrum in Eccleſia Chriſti, magiſtri & cuſtodes eſſent, qui depoſitum non minus egregiè, quam ipſe Timotheus per Spiritum ſanctum ſer-
1. Tim. 1. uarent. Quod quidem ita eſſe, teſtimonijs apertiſſimis, è ſcriptis eorum productis, oſtendam, omnemque ea de re dubietatem, animis veſtris eximam. Quod dum facio, vt cœpiſtis diligenter, & cum ſilentio, attendite.

*A conſuetudine Eccleſiæ, conſenſu omnium approbata, vſuq; longo roborata, diſcedendum nō eſſe. Ea neglecta Eccleſiam grauiter turbari, nihilq; certi haberi. Interpretationem ſcripturæ ſacræ quam Eccleſia cōfirmauit firmiter retinendam docet.*

CAP. II.

Pri-

Rimum igitur omnium dico, non sonum verborum, non literam occidentem, in doctrina sacra constituenda, & confirmāda, sed sensum & sententiam consentientem, cum patrum sanctorum, tum Ecclesiæ totius spectandum esse, & non quod verba sonent, sed quod significare, & quasi intus inclusum habere præ se ferant, & sentiendum, & faciendum esse: non enim vis doctrinæ Christi in verborum sono, sed in sensu consistit. Nam vt scire leges, non hoc est, vt quidam dicere solet, verba earum tenere, sed vim: ita is sacras scripturas nosse dicendus, non qui verba earum teneat, q multa verba ex eis proferat, sed qui sensus veros scripturæ calleat. Verus autem sensus est, quem consensus Ecclesiæ, ab Apostolicis viris, & patribus sanctis in sinu suo repositum, approbauit, consuetudineque continenti confirmauit. Non quiuis enim nec cuiusuis hominis, quantumuis eruditi & diserti, verborum Christi sensus recipiendus, sed is demum, in quē

*Quid spectandum sit in verbis Christi.*

*Quid sit scire leges & scripturam.*

*Sensus verus verborum Christi.*

*Quis sensus recipiendus.* vel omnes, vel plures, quorum pietas viuendo, synceritas interpretando, modestia patiendo, charitas docendo; perspecta & approbata fuerit. Non quæuis consuetudo àdmittenda, sed ea quæ in sinu Ecclesiæ Catholicæ tradita à patribus sanctis, adoleuit. Hæc enim est scripturæ sacræ, & verborum Christi interpres, ea est sententia præceptorum & instituti eius, quam consuetudo Ecclesiæ Catholicæ perpetuò tenuit, quam consensus patrum roborauit, quæ omnibus in Ecclesijs, omnibus temporibus floruit, quæ initio ab Apostolis sumpto, per manus virorum Apostolicorum, ad patres sanctos deducta, successione perpetua ad nos defluxit. Hæc, quæ nobis tradiderit, omni dubitatione amota, vera credere debemus: quæ illa respuat, quæ non recipiat, quantumuis scripturæ verbis picturata, & pietatis specie infucata sint, reijcienda & vitanda sunt. Quicquid alienum est ab vsu & consensu Ecclesiæ Catholicæ, quicquid recens, quic-

*Qui sensus recipiendi, qui reijciendi.*

quid

quid diſſentiens, & nec locis nec temporibus perpetuum, falſum vanumque eſt. Nec obſtat, quod plures Eccleſiæ aduerſarij, videantur interdum conſentire: non enim ſolùm quam multi, ſed & quam pij conſentiant, videndum eſt. Conſentiunt illi qui ignes inferunt patriæ, qui itinera obſident, qui maria infeſtant, qui prædantur, quorum coniunctio non tam conſenſus, quam coniuratio dicenda. Coniurant multi, non ſolum viri, verumetiam integræ prouinciæ contra Eccleſiam Catholicam, & caput eius, (à multis ſæpe oppugnatum, à nullo tamen vnquàm expugnatum) Eccleſiam Romanam, Diuique Petri æternam ſedem. Non conſenſus hic eſt bonorum, ſed coniuratio perditorum. Quæ, quod veritati, pietati, religioniq; à Chriſto & Apoſtolis proſeminatæ, & ad nos ſucceſſione continuata deductæ, bellum inferat, in eam ſedem impetum facit: qua ſtante, veritatem ipſam, Chriſtiq; regnum, hoc eſt, religionem pu-

*Conſenſus hæreticorum veritatem non efficit.*

*Eccleſia Romana oppugnatur, non tamen expugnatur.*

*Hæretici cur Eccleſiam Romanam oppugnent.*

 ram

ram atque auitam, euerti non posse videant. Quibus suo errori, suisq; sordibus relictis, ad Ecclesiæ Catholicæ consensum & consuetudinem redeamus, & quid nobis de Sacramēto Eucharistiæ testetur & tradat, quid nos doceat, quæ voluntas Christi instituendo eo sacramento fuerit, quomodo Ecclesia eo vsa est, inquiramus, & quod illa se semper obseruasse, quomodo præceptum Christi tractasse monstrauerit, id firmo animo complectamur, ac obuijs vlnis, (vt dicitur) excipiamus: hęc enim est veritatis magistra, & verę religionis testis. In hanc non inquiramus, quod consensu patrum rectè constitutum, & vsu consuetudineque approbatum nobis tradit, sanctè & piè conseruemus, nec omnium quæ ab illis tradita & constituta sunt, rationes inquiramus: non omnium siquidem quæ maiores, vt & legum Authores tradiderunt, potest reddi ratio. Quam si vbiq; inquiramus, multa quæ salubriter constituta sunt, & quæ certa semper fuerunt, subuertentur. Quod quidem cum alias

*Materia dicēdorum.*

*Ecclesia catholica columna & firmamentum veritatis.*

*1. Tim. 3.*

lias sæpè, tum vero ijs nostris perditis temporibus euenisse videmus. Dum enim & Authoritas patrum, & traditiones Ecclesiæ reijciuntur, dum in eorum cōstitutiones inquiritur, omnem disciplinam & religionem, ita prorsus conuulsam videmus, vt vbi consistamus, quid sequamur, non inueniamus. Cui malo vt succurratur, consultissimum fuerit, maiorum sensum & consensum, non verba sonosque scripturæ sequi, interpretationē verborum, quæ certa semper habita sit, inuiolatam & firmam retinere. Quod nisi fiat, nihil est quod vel sequi, vel expectare debeamus. Quicquid enim constitutum fuerit, improba & petulantia ingenia, sophisticis suis argutationibus euertent, & quot capita, tot sensus, tot doctrinæ nascentur. Vidit hoc etiam errorum magister, & dissensionū non segnis author Osiander, confessus palam, omnia incerta suis disputationibus, & verborum scripturæ nouis interpretationibus, nouos istos Euangelicos reddere, ac non solum ab alijs, sed etiam à

*Inquisitio in leges & constitutiones maiorū quæ mala pariat.*

*Osiandri confessio.*

 scip-

ſeipſis diſcedere, ſuas ſententias impugnare, & infinita decreta de eadem re conficere. Quo nomine Philippum & diſcipulos ſuos, præcipuè dānat: qđ ne abſque cauſa facere videatur, iuſtificationis de qua Euangelici totos dies, & magnam partem noctis diſputant, exemplo vtitur. De quo vno dogmate, viginti eſſe ait diuerſas opiniones, ac Philippi diſcipulorumque eius quatuordecim enumerat, in eo libello, quem contra Nycticoracem quendam, ſcripſit. Nam ſimul vt, inquit, locum in ſcripturis viderunt, in quo iuſtitiæ mentio fieret, ſtatim nouam ex eo iuſtificationem ſunt fabricati. Verbi gratia: Legit aliquis: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Iam ex hoc vno loco duo collegit iuſtificationis genera, vnum ex verbo credidit, vt diceret fidem noſtram eſſe iuſtitiam: alterum ex verbo reputatum eſt, vt diceret Deum iuſtitiam ſuam nobis imputare, nos pro iuſtis habere, etiam ſi non ſimus, atque hanc eſſe iuſtitiam noſtram. Legit alius: Iuſtificati ſumus

Hoſius.

mus per sanguinem eius, statim ex eo collegit, quod preciosus CHRISTI sanguis sit nostra iustitia. Legit alius: Sicut per vnius inobedientiam, peccatores constituti sumus multi, ita per vnius obedientiam, iusti constituentur multi: mox docuit, obedientia CHRISTI est iustitia nostra. Legit alius: Resurrexit propter iustificationem nostram: Resurrectio, inquit, CHRISTI, est iustitia nostra. Legit alius: Spiritus sanctus arguet mundum de iustitia, quia vado ad patrem, affirmauit illicò, quod Christi transitus ad patrem, est iustitia nostra. Legit alius, quod efficimur iusti absque meritis ex gratia Dei, non dubitauit affirmare, quod gratia & misericordia Dei sit iustitia nostra. Legit alius: ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum: euestigio docuit, remissionem peccatorum esse iustitiam nostram. Legit alius: Liuore eius sanati sumus: asseruit illicò, quod vulnera CHRISTI

ſunt iuſtitia noſtra.Iam igitur enume raſſe ſcribit, nouem genera iuſtificationum è ſcripturis collecta, malè inter ſe cohærentia, neque tamen omnia ſe adhuc recenſuiſſe. Enumerat deinceps, quæ è ſuo capite quiſq; con finxit. Aliqui, inquit, dicunt, quod Iuſtitia ſit opus Dei, quod ipſe in Chriſto operatur. Alij quod nos Deus ad ad æternam vitam recipit: alij quod meritum Chriſti: alij de media quadam iuſtitia loquuntur, quam tamen explicare nequeunt. Alij docēt, quod eſſentialis iuſtitia Dei, creat in nobis aliam nouam creatam iuſtitiam. Sic Oſiander quatuordecim opiniones de iuſtificatione recenſet, & quam ipſe profert eſt quintadecima. Iuxta numerum autem cuius meminit in confutatione ſcripti, quod contra ſe Philippus ediderat, erunt omnes viginti & vna. Quid, quod Lutherus, ſuper vno articulo, qui eſt de communione, vel vtriuſque vel alterius ſpeciei ſacramenti Euchariſtiæ, ita à ſeipſo diſſenſerit, vt triginta & ſex loca in eius ſcriptis Halenſis quidam notauerit

rit inter se pugnantia? dum aliquando vnius vsum comprobat, aliquando ad vtramque speciem capiendam suos vrget. Qua inconstanti doctrina de sacramento Eucharistiæ, Ecclesiæ Catholicæ dogma ita turbauit, vt si eum sequi velis, vbi consistas non inuenies. Nullus est articulus fidei & religionis apud istos, de quo inter se nõ digladientur, nulla tam firma ratio dogmatum, in quam non disquirãt, quam non euertant. Semel enim disciplinæ & legum Ecclesiæ cancellis effractis, temeritas quoque præceps fertur, nulla vincula admittit, omnia pro sua libidine euertit. Quod ne fieret, patres sancti pro sua prudentia prouiderunt, legibus certis Ecclesiæ doctrinam & disciplinam incluserant, extra septa dogmatis sui euagari neminem patiebantur, omnes idem sentire & probare volebant, recepta dogmata & consensum Ecclesiæ perturbantes, vt pestem à cœtu Christiano exterminabant, ac ingressu Ecclesiæ arcebant, igne & aqua eis interdicendo. Quæ disciplina dum seruare-

*Lutheri inconstans sententia de vsu Eucharistiæ.*

*Temeritas quid faciat.*

*Patrũ sanctorum consiliũ.*

*Conseruata disciplina Ec-*

*clesiæ quæ cō-modá pariat: neglecta quæ incommoda ferat.*

tur, dum leges Ecclesiæ vigerent, dum magistratus Ecclesiastici iussis omnes parerent, vna omnium consentiēs de religione Christi voluntas, vna fuit sentētia, regnum Christi vigebat, pax, concordia, pietasq; regnabant. At vero cum leges Ecclesiæ reiectæ, magistratus neglecti, disciplina dissoluta, & dogmata Catholica dispurādo perturbata sunt, Christi regnū vehementer perturbatum ne dicam concidisse apertissime videmus: omnia dissensionibus, discordijs, seditionibus, & bellis plus quàm ciuilibus perturbantur: Charitatem odia, pietatem impietas, modestiam, Christiano homine dignam, & humilitatem, arrogantia exterminat, Christo humili & misericordi, extra suam vineam eiecto, tyrannus ille Sathan superbus, mendax & cruore plenus dominatur. Quibus malis vt aliquod remedium quæratur, vt Christus in suum locum restituatur, vt Sathanas in suas tenebras retrudatur, ad disciplinam maiorum redeundum est, captiuanda ingenia,

pa-

patrum decretis & ſententijs conſen- tientibus ſubijcienda, neque in eorum conſenſum dogmataque inquirendum, quod docuerũt, in quo conſentiunt, modeſtè recipiendum, & firmiter credendum. Qui quidem patres, quid de communionis articulo, vna cum Eccleſia ſtatuerunt, videamus, ac primum omnium quid Chriſtus ipſe author huius ſacramenti egerit, quomodo inſtitutionem eam, qua in extrema illa ſua cœna vſus ſit, cum à mortuis reſurrexiſſet interpretatus non verbis ſed facto ipſo fuerit, excutiendum videtur: Nemo enim vt verborum ita & factorum CHRISTI interpres certior fuerit ipſo Chriſto: ea enim quæ poſterius vel dicuntur vel fiunt, quo animo priora dicantur, vel fiant, monſtrare ſolent, & alter alterum locus explicat. Ob eamque cauſam Eccleſia, quæ non verba ſcripturæ, ſed mentem & ſenſus eius veros circumſpicit, cum eo loco quem interpretari voluerit, & ſententiam eius veram deprehendere conantur, alios locos ſcri-

*Malis in Ecclesia natis quomodo occurrendum est.*

*Ecclesiæ interpretatio scripturæ qualis.*

ſcripturarum cum eo confert. Verbi gratia. Cum apud Matthæum ſcribi-
*Matt.19.* tur: Dico vobis, quia quicunque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Videntur ea verba Chriſti permittere vxorem dimittere ob adulterium commiſſum, & aliam in locum e-
*Diuortium apud Iudæos frequens.* ius inducere, quod Iudæi faciebant, apud quos frequens diuortium fuit, leuioribus etiam de cauſis. At cum ea quæ Marcus & Lucas ſcribunt legeris, quomodo apud Mattheum verba Chriſti accipienda ſint, & quis eorum verus ſit ſenſus, planiſſimè docent. Nã Chriſtus apud eos abſque omni exceptione vxoris dimittendæ poteſtatẽ
*Mar.10.* ademit. Ait enim: Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam: Et a-
*Luc.18.* pud Lucam: Omnis qui dimittit vxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur. Ita duo poſteriores Euangeliſtæ, Matthæi locum interpretati, & quæ ſententia voluntaſque Chriſti in eis fuerit, demonſtrarunt, ſublataque exceptione fornicationis, quam multi

ar-

arripientes, vxores suas eo nomine dimittebant, & alijs iungebantur, Christum omnino diuortia prohibuisse ostenderunt, nec licere cuiquam separata etiam à se adultera, aliam ducere, sed vel absque matrimonio manere, vel vxorem dimissam reconciliare & reducere. Quam sententiam veram esse, Pauli verba, quibus prohibet vxorem à viro discedere: & si discesserit, innuptam manere, aut viro reconciliari præcepit. Verba Pauli hæc sunt: Vxor à viro ne separetur: Quod si separata fuerit, maneat innupta, aut marito reconcilietur, & maritus vxorem ne dimittat. Quæ quidē verba Pauli, quæ sententia sit Christi apud Matthæum de diuortio disserentis, apertè ostendunt. Addit ille exceptionem illam, nisi fornicationis causa. Sed alij Euangelistæ, & Paulus post eos, prætermissa ea exceptione, omnino diuortium prohibent. Quem sensum Chrysostomus in eum locum scribens, mulierem dimissam à thoro, eiusdem viri vxorem oportere esse ait, & manere cum eo, etiam si non mi- *1. Cor. 7.*

misereatur ei. Videbatur alijs aliter, vt Origeni, & nouis istis Euangelicis videtur, legitimè vxore adultera dimissa, aliam etiam legitime duci: sed Ecclesia prohibet, concilia improbāt, consuetudo non admittit. Non dissimilis est illa CHRISTI interpretatio præcepti legis, de non violando Sabbato, cuius literam sequentes Iudæi nefas putabant, Sabbato hominem sanari. Cumque Christum id facere molestè ferrent, Christus alijs ex locis ex eadem lege productis, licere hominem Sabbato sanari, contra quàm Pharisæi volebant, docet e-
Luc. 14.
xemplo asini, Sabbato in puteum lapsi, quem lex statim in ipso Sabbato extrahi, vt Pharisæi interpretabantur non prohibere, & bouis soluti à præsepio & ad aquas ducti. Nam si nō violaretur asino & boue curando sabbatum, neque homine sanando violari. Non referam plura exempla huius rationis locorum interpretandorum. Non solum patres hoc fecerunt, faciunt & noui nouæ doctrinæ Magistri, sæpè clamant, locum aliquem
hoc

hoc modo intelligi, & hunc sensum eius esse, propterea quod eadem verba alio loco eodem sensu accepta fuerint. Vt quoniã Christus Petrũ Metaphoricos & translate vocauit sathanam, cum diceret: abi post me sathana, eandem Methaphoram esse contendant, cum dicat: Hoc est corpus meum. Vt enim, aiunt, Petrus re ipsa sathanas non sit, sic neque panem sanctum, quem Eucharistiam vocamus, veram carnem Christi esse, sine pudore vociferantur. Matt.16.

*Christũ in Emaus duobus discipulis sub specie panis tantum Eucharistiam porrexisse, & eum panem quem in ea cœna porrexit, non simplicem panem: sed Eucharistiam fuisse: apud Lucam in Actis, Fractionem panis significare Eucharistiam, & populo sub altera specie ab Apostolis datam, & Paulum vtranq; rationem communicandi Corinthijs ostendisse, copiose probatur.*

CAP. III.

QVamobrẽ cũ nos sacramentũ Eucharistiȩ, nõ ita vt videtur Christum in cœna cõstituisse, hoc est, sub spe-

ſpecie panis ſimul & vini, ſed in altera tantũ populo dari debere, quod Ecclesia facit, docemus. Non nobis obſtrepant: afferemus enim locum poſteriorem eis ipſius magiſtri, & Authoris ipſius Euchariſtiæ Chriſti, qui illum & Euchariſtiam diſcipulis dediſſe, & ſub panis ſpecie tantum dediſſe manifeſte doceat, vt planè videatur Chriſtus, quod cum duodecim in cœna ſuprema inſtituerit, apud Cleopham interpretatus eſſe, neque illud præceptum de vtraque ſpecie ſumenda, & inter omnes diuidenda, perpetuum eſſe voluiſſe, poſſeque ad vnam tantum ſpeciem transferri. Quod Ecclesia fecit, cum pro ratione temporum, & locorum varietate, iam vtraque ſpecie, iam altera tantum Euchariſtiæ ſacramenti vteretur. Multa enim incidere poſſunt, quæ variationem vſus Euchariſtiæ poſtulent, vt ſuo loco oſtendemus. Nunc quis ille locus ſit, qui teſtamenti illius noui cum duodecim apud menſam inſtituti, & obſignati, ſenſum & voluntatem Chriſti explicet, vſumque ſacramenti eius

*Chriſtus apud Cleophã inſtitutionẽ cœnæ ſuæ interpretatur facto ipſo.*

*Euchariſtiæ vſus pro temporum varietate varius fuit.*

eius verum, & legitimum, in sola panis, vinive solius specie subsistere doceat, proferamus, ac vsum vnius speciei Eucharistiæ, nō minus instituti esse Christi, quam vtriusque doceamus. Cœnasse Christum ea qua à mortuis surrexerit die, nemo dubitabit. At que hoc factum Lucas his verbis narrat: Et factum est, cum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis, & aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum, & ipse euanuit ex oculis eorum. Hic est ille locus, qui superiorem illum, qui vtriusque speciei huius sacramenti, institutionem apertam, & disertis verbis expressam continet, interpretationem, qui tantum panis meminit: Ait enim Christum cognitum esse à discipulis, dū benediceret, frangeret, & porrigeret panem, nulla vini interim mentione facta. Nec posse intelligi ex parte totum, & ex pane consecrato & porrecto, vini consecrationem, & distributionem quoque adhibitam fuisse, cum verba Lucæ apertè doceant: dum panem benediceret, &

Luc. 24.

*Christus in Emaus alteram speciem Eucharistiæ discipulis dedit.*

F por-

porrigeret, ſtatim agnitum, & ſtatim vt agnitus ſit, ab oculis eorum à quibus agnoſceretur ſe ſubduxiſſe, neque temporis aliquantum interuallum, vt poculum etiam acceptum benediceret, & porrigeret, interceſſiſſe, ſed ipſo in momēto panis porrecti agnitū, diſparuiſſe. Nam ſi totū illud tempus dum à cœna ſurgeretur cū eis inſumpſiſſe, cum Euangeliſta ſcripſiſſet, poſſumus non incommodè ratiocinari, etiam ſi poculi nulla mentio fieret, vinum quoque eum & conſecraſſe, & bibiſſe, & diſcipulis illis bibendum porrexiſſe, veluti cum eundem piſcem & mel ſibi dari iuſſiſſe, & cum comediſſet, reliquum reſtituiſse legimus. Nam etſi ibi vini nulla mētio, quia tamen & ipſe manducat, & dum manducaſſet diſcipulis piſcem manducandum dat, non incredibile eſſe opinamur & ipſum, & Apoſtolos ſuos bibiſſe, quamuis tantum piſcis & mellis Lucas in eo loco meminerit, patiebatur temporis ratio diutius apud diſcipulos moratus eſt, apud

Luc. vlt.

apud Cleopham vt primum sacrum panem illum porrexerit, agnitus, disparuit. Atque ita Eucharistiæ sacramento vti commodè sub vna specie nos posse docuit. Nisi enim hoc liceret, si lex illa sua in cœna vltima perlata, de pane & calice simul sumendo, & alteram speciem absque altera nefas esset, vt isti dicunt, sumi: nulla ratione dominus Cleophæ solum panem dedisset, suam legem quam immotam seruari à nobis vellet, & violatores eius impietatis reos ageret, vnquam violasset, nec impietatis tantæ Author ipse apud discipulos esset, nec ab eis prius discederet, quam calice consecrato & porrecto, legem suam cōplesset. Quod quia nō expectauerit, vna specie eis data, dispa ruerit, nulla nos impietate obligari, si sub altera tantum specie sacramentū hoc sumamus, populoque fideli distribuamus, Christum ipsum Authorem secuti, certum est. Sed dicent isti vtriusque speciei assertores. In cœna illa Cleophæ, non sa-

*Christus leges suas non violat.*

*Aduersarij in cœna Cleophæ non Eucharistiam*

*Christum discipulis, sed communem panem dedisse, contendũt.* cramentum Euchariſtiæ, Chriſtum, vt in cœna extrema dediſſe, ſed panẽ communem more ſuo benedixiſſe, ac gratias Deo patri, vt ſemper ſoleret egiſſe, & propterea nihil nos eo ſcripturæ teſtimonio agere, nullamque ſimilitudinem inter cœnam duodecim, & cœnam duorum eſſe, & propterea vna ſpecie Sacramenti Euchariſtiæ à nobis eum locum detortum eſſe. *Refelluntur aduerſarij.* Quæ reprehenſio, quam vim habeat, collata & huius loci quem attulimus, & cœnæ illius ſupremæ hiſtoria, facile videbimus. Formula & modus *Matt.26* cœnæ apud Matthæum: Cœnantibus autem eis, accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis *Mar.14.* ſuis. Apud Marcum: Et manducantibus illis, accepit Ieſus panem, & bene- *Luc.22.* dicens fregit, & dedit eis. Apud Lucã: Et accepto pane gratias egit, & fregit, *1.Cor.11.* & dedit eis. Apud Paulum item: Ea nocte qua traditus eſt, accepit panem, & poſtquam gratias egiſſet, fregit. Hic eſt modus, ordoque cœnæ illius ſupremæ, cum quo idem prorſus eſt ille, quo vſus idem Chriſtus eſt apud

Cleopham, vt verba Lucæ qui eam describit cœnam, apertè docent. Ait enim Lucas: Dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Inspice singula, totidem verbis, & eodem ordine, modum apud Cleopham cœnādi expressum à Luca videbis, qui apud Euangelistas & Paulum exprimitur. Nihil diuersum narratur, Accepisse, benedixisse, fregisse, & porrexisse panē Christus, quasi ex formula apud omnes scribitur. Quod cum ita sit, quid obstat, quominus in cœna Cleophę, non vulgarem panem, sed panem in corpus suum, vt & in cœna duodecim, Christū duobus illis porrexisse credamus? cum eundem cursum cœnandi & benedicendi, quem instituit in suprema illa cœna, tenuerit: Nam quod apud duodecim formam illam consecrādi addiderit: Hoc est corpus meum, &, Hic est calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum: apud Cleopham verò prætermisisse videa-

tur, id omnino nil virium contra nostram aſſertionem habere poterit. Etſi enim Chriſtus tradens panem Cleophæ dixiſſet. Hoc eſt corpus meum, Lucas tamen ea verba repetere voluit, quod ea & ipſe in ſuo Euangelio & alij Euangeliſtæ expreſſerant, ac quod integrè rationem cœnæ Chriſti cum duodecim retuliſſent, ſatis illi viſum eſt, ſi narraſſet Chriſtum apud Cleopham, & cœnaſſe, & quomodo cœnauerit, accepiſſe videlicet panem, benedixiſſe, fregiſſe, ac porrexiſſe. Nã ſi benedixit & fregit, intelligitur & cõſecraſſe. Oportebat autem eum conſecrare, aut eadem forma verborum, qua vſus in cœna cum duodecim, aut diuerſa. Non diuerſa certè videtur apud Cleopham, vſus, cum eadem cæremonia, & eodem ritu. Quo in illa ſuprema vteretur, in hac vſus eſſe narretur. Accepit panem, benedixit, fregit, porrexit. Si eadem eſt cæremonia, idem curſus & ordo cœnandi, cur nõ eadẽ forma cõſecrandi erit vtrobiq; ? Non expreſſa (inquis) forma illa, Hoc eſt corpus meum. Fateor, ſed Chriſtũ

eam non adhibuisse nō concedo, modus ipse cœnæ, vsum esse Christũ forma à se instituta in prima illa cœna, benedicendo pane & frangẽdo ostendit. Quam quod Lucas non referat in suis actis, causa est, quod ea quæ in Euangelio, & ipse & alij integrè retulerunt, repetere omnia nolet. Satis esse iudicauit, si eodem modo cœnam institutam fuisse, & eundem modũ progressumq́; Christũ seruasse apud Cleophã, quẽ seruauerit in supremæ noctis cœna, narrasset. Satis.n.erat in hoc loco, Lucã indicare, more suo Christũ cœnasse, cũ duobus illis in Emaus, vnde intelligeretur omnia adhibuisse eũ apud Cleophã, q̃ adhibuit apud duodecim: ea.n.formula cœnæ, nō solũ ritũ & cōsuetudinẽ Christi, benedicẽdi panẽ intelligi debere indicat, verũetiã in ea cæremonia, formã illã qua vsus apud duodecim cōsecrãdi panis adhibuisse, & tanq̃ gemmã auro inclusisse, vt ex ijs q̃ refert, ea quę reticuit intelligantur. Neq; enim Euangelistæ totidẽ verbis eadẽ semp narrãt, nã aliquãdo cōpendiosius cōplectũtur, aliquãdo

longiore verborum circuitu vtuntur, & rem integram explicant. Narrat Matthæus paraliticum ad Christum allatum, & Sabbato curatum propter fidem afferentium, quomodo autem fidem illam suam demonstrauerint, tacet. At Marcus eādem historiam referens, non solum allatum & Christo oblatum scribit, sed etiam per quam partem domus ascenderint cum eo, quomodo fidem suam demonstrauerint explicat, singula quæ fecerint, demonstrat. Non solum attulisse, sed etiam in tectū ascendisse, paraliticumque eò attraxisse, vt maior illorum fides appareat, scribit. Quid igitur, quia Matthæus nullam mentionem nudati tecti fecerit, & ascensus illius non meminerit? Num dicemus non fuisse allatum per tectum? Non refero plura exempla: Hoc dico, Lucam integram rationem cœnæ Christi in Euangelio retulisse, in actis tātum cœnasse Christum, & modum cœnæ retulisse, verbis consecrandi panis prætermissis, quæ ex ijs quæ in cœna illa acta refert, commodè intelligantur: quanquam etiam

etiam ſi aliјs verbis benedixiſſet, non ſtatim conſequitur, panem illum nō fuiſſe corpus Chriſti verum, & quod in cruce pependerat. Chriſtus enim non ita alligatur inſtituto ſuo, & lege ſua, vt eam variare illi non liceret, qui dominus omnium ſit, qui ea quæ inſtituta ſunt potuit mutare: potuit nō ſolum totidem verbis quot vſus eſt in cœna duodecim, panem in ſuum corpus vertere, ſed etiam vno, vel nullo etiam adhibito verbo, ſola voluntate & poteſtate ſua illa abſoluta. Quemadmodum nullo verbo dicto, ſola voluntate aquam in vinum vertit, & ſolo contactu mulieris profluuium ſanauit: exibat enim ex eo virtus quæ morbos ſanaret. Qua virtute etiam ſine forma verborum, contactu ſolo, panem illum quem manibus tenebat, in carnem ſuam veram & viuam facere potuit. Nec eundem modum in ſanandis ægris ſemper tenuit; Interdum lutum è ſputo conficit, & oculos illinit, & ad piſcinam mittit: interdū ſolo verbo curat, vt, volo, mundare, ſurge & ambula: interdum nec

dicendo quicquam, quod ad sanandū pertineret, vt decem leprosos. Absolutam Christus habet potestatem, est supra omnem legē positus. Neq; enim, si nobis leges eius mutare, & à forma consecrandi, nobis per eum tradita, & in Ecclesia Catholica firmissimè semper retenta desciscere non licet, Christo non licuisse dicendum ille dominus, nos serui, Ille magister, nos discipuli. Neque illa quæ solent aliunde afferri, nostram sententiam eneruare possunt, Christum in deserto bis multiplicando pane, & turbas pascendo vsum esse, eodem modo benedicēdi. Vbi etsi panis ille nihil aliud quā communis panis fuerit, tamen ea formula, qua vsu est benedicendo eo, neq; ibi ociosa fuit, statim enim miraculū consecutum est eam, quod turba illa admirabatur, multiplicatio enim illa pauci panis, & tantum incremētum, vt non solum multis milibus hominum saturandis sat esset, sed etiam deinceps superesset. Magnum miraculū & signū potentiæ & diuinitatis Christi fuit. Et quidem video viros doctos,

& in ſacris literis exercitatiſſimos animaduertiſſe, vix reperiri poſſe in toto Euangelio Chriſtum aliquid attigiſſe ac benedixiſſe, potiſſimum verò panem, niſi quando peculiarem mutationem circa eum operatus eſſet, vt quando panes & piſces bis in deſerto multiplicauit, & quando corpus ſuum ex pane confecit, vt in cœna eius noctis qua tradebatur. Legitur quidem ſæpè alijs cõuiuijs interfuiſſe, ſed nuſquam dicitur accepiſſe panem, benedixiſſe, & fregiſſe, ſuaque manu dediſſe, ne quidem quando familiarius cibum caperet inter domeſticos, etiam ſi in eiſdem conuiuijs res ſtupendas perfecerit, vt cum aquam in vinũ optimum commutauerit. Si igitur hac formula & modo benedicendi, nonniſi tum cum miraculum facturus eſſet Chriſtus vtebatur, q fieri potuit, vt apud Cleopham ocioſa eſſet, nullumque miraculum eam conſequeretur? Quod Lucas apertè docet ſecutum fuiſſe, cum deguſtato illo pane, quem Chriſtus benedictum & fractum porrexerat, diſcipulorum oculi

Ioan. 6.
Matt. 14.

qui

qui clausi tenebãtur aperti essent, vt Christum cognoscerent, quem ante illum benedictum panem gustatum, cognoscere non poterant. Quomodo autem fieri potuit, vt panis simplex eam vim haberet, vt oculos manducantium se, aperiret, & in cognitionem Christi adduceret? Non simplex panis ille erat, sed verbo & virtute Christi, in Sacramentum Eucharistię, & verum viuumque corpus Christi, mutatus. Non temere Christus domum illam ingressus, signo edito & pane illo in suam carnem verso, signũ suæ diuinitatis & veræ resurrectionis dare voluit, & discipulos errantes ab errore reuocare. Signum igitur edit, panem appositum mensæ in suã carnem vertit, cuius esu oculi eorũ, qui Sathanæ fascinamento & incredulitate clausi tenebantur, ne in veritatis cognitionem venirent, aperirentur, & ab illa nube erroris liberarentur, quod simplicis & communis panis, esus efficere nunquam potuisset. Quæ cum ita sint, non est cur quis dubitet, in cœna Cleophæ Christum domi-

minum, panem in ſuam carnem veram verſum, Cleophæ dediſſe. Nam etſi vt diximus, non ſcribat Lucas eũ dixiſſe: Hic eſt panis corpus meum: tamen ex illis verbis quibus modus cœnæ eius deſcribitur, facilè intelligimus, Chriſtum & hæc dixiſſe, quæ Lucas vt nota Chriſtianis illis, & alibi à ſe ſcripta prætermittat; quanquam, vt diximus, & obmiſſa illa verborum forma, vel ſola benedictione & fractione, ipſoque panis contactu, non eſt dubitandum, Chriſtum panem in Sacramentum Euchariſtiæ & carnem ſuam veram conuertere potuiſſe. Nã vt non eodem modo omnes, vel excitauit vel ſanauit, ita potuit panem in ſuam carnem, non eodem modo vertere, & duobus illis in Emaus Sacramentum Euchariſtiæ manu ſua porrexiſſe, ac ſuæ cœnæ inſtitutionẽ eo pacto, interpretatum eſſe: nec intereſſe, ſub vna ne an ſub vtraque ſpecie ſe manducet docuiſſe. Quod igitur dicunt, vt in deſerto verba hæc, gratias egit, benedixit, fregit, & dedit, conſecrationem non ſecutam eſſe, neq; panem

nem illum carnē, quo turba pascere-
tur in carnem Christi versum, ita & a-
pud Cleopham non factum Euchari-
stiæ sacramentum, sed panem com-
munem mansisse, id nō concedimus.
Nam vt in deserto multiplicatio pa-
nis, & mutatio quantitatis consecu-
ta, ita hic mutatio substantiæ panis,
in substantiam corporis CHRISTI
viui, secuta est, cum Christus, vt di-
xi, verba hæc non adhibeat cibo,
nisi miraculum facturus, ergo ibi mi-
raculum consecutum multiplicatio
panis, hic vero transmutatio substan-
tiæ panis, in substantiam corporis
Christi, & illo vsus est ad potentiam
suam turbæ demonstrandam, diuini-
tatemque insinuandam: Hoc ad sa-
nandos discipulos, vitamq; dandam,
ibi pascendus erat venter: hic animus
sanandus, & ad vitam à morte, ab er-
rore ad veritatem reuocandus: ita di-
uersos fines diuersa miracula consecu
ta. Vnus quidem & idem modus be-
nedicendi, frangendi, & porrigendi,
sed fines diuersi, quos diuersa mira-
cula

cula diuersique effectus secuti. Alio hic miraculo opus erat, alio in deserto liberè Christus agit, & ad eum scopum quem necessarium videt, verba sua refert. Non nouum est vnius causæ diuersos esse effectus. Quamobrem non sequitur, si in deserto benedictio Christi & fractio, panem non mutauit in substantiam corporis eius, in Emaus quoque non mutasse, cum neque multiplicatio apud Cleopham consecuta sit eius panis, quem Christus benedixit, quod hic non multiplicando pane, sed transmutando in corpus suum, Christus pascere vellet discipulos, in deserto vero turbam saciari voluit, quod fieri non poterat sine multiplicatione pauci illius panis. Atque equidem, si cui temere facere videmur, quod cœnam Cleophæ cum cœna duodecim exæquamus, ac in vtraque carnem suam Christum manducandam dedisse discipulis asseramus: accuset ille lumina Ecclesiæ Catholicæ, & vasa electa CHRISTI, Chrysostomum, Au-

*Patres vasa electa Christi.*

Auguſtinum, Hieronymum, Theophylactum, Hyſichium, & alios non paucos, qui conſtantiſſimè, & quaſi vno ore, hoc idem ſenſerunt, ac Christum duobus illis carnem ſuam viuã & veram ſub panis ſpecie elargitum eſſe, aſſeruerunt, tum quod benedixerit, & fregerit panem illum Chriſtus, quemadmodum in ſuprema illa cœna cum duodecim diſcumbens fecerat, tum quod ſtatim in illis duobus, vt de manu illius Sacramentum illud ſumpſiſſent, diuinitas quæ panis ſpecie tegebatur, vim ſuam exercuit: oculos clauſos & quaſi infaſcinatos diſcipulorum aperuit, & Chriſti Domini cognoſcendi, facultatem eis dedit. Vt primum enim ſacroſanctum illum panem deguſtarunt, dominum agnouerunt, quem in toto illo itineris curſu, & ſermone longo cognoſcere non potuerunt. Recepto intra ſua viſcera Chriſto, mens illorum illuminata, & vt corporis, ita lucis eius participes facti. Ille enim eſt lux vera, quę illuminat omnem hominem, in hũc mundum venientem. Ille aperit ſenſus

*Virtus Eucharistiæ.*

sus & mentes nostras:receptum lumē à Cleopha,tenebras eius discussit,late re non potuit, suæ diuinitatis signa dedit, incredulitatem quæ tenebras mentibus discipulorum offuderat, sustulit, fidem cordibus eorum infudit. Sed audiamus quid illi patres, de hoc loco dicant, & quo cibo discipulos suos Christum in Emaus pauisse doceant. Hieronymus. Paula venit Nicopolim, vbi Christus Cleophę domum dedicauit in Ecclesiam. Cur ita loqueretur singulariter Hieronymus de Cleophæ domo præ alijs, ad quas sæpè diuertit Christus, nisi propter consecrationem corporis sui, quam in ista perfecit, & non in alijs. Hysichius. Inuenimus autem & Christum similiter post resurrectionem à mortuis, per mysticæ cœnæ, & panis fractionē manifestatum. Quod apertè quidem Lucas, planius tamen etiam Ioannes Euangelista tradit. Augustinus Non incongruenter accepimus, hoc impedimentum in oculis eorum à Sathana factum fuisse, ne agnosceretur Iesus: sed tamen à Christo facta est per-

*Epistola de peregrinatione Paulæ.*

*Lib. 2. ca. 9.*

*Lib. 3. de consensu Euangelistarū ca. 15.*

*Beda 24. in Luc.*

missio, vsque ad sacramentum panis, vt vnitate corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimentũ inimici, vt Christus possit agnosci.

*Tractat. 2. in can. Ioan.*

Idem. Discipuli eum non agnouerũt, nisi in fractione panis. Et verè, qui nõ sibi iudicium manducat & bibit, in fractione panis Christum agnoscit. Hic Martinus Kemnitius admonet, notari ab Augustino Synecdochen in illa historia Christi, quoniam adiungit: in fractione panis Christum agnoscit, quasi fractionis nomine, cibũ & potũ cõprchendat. Augustinus, sane verba Pauli citat integra, q̃ de cibo & potu meminerunt, quorum effectus par est effectui fractionis panis, q duobus discipulis contigit: Quod tantum innuit, nec disquirit, quid fractio panis complectatur, sed tantum quid prosit.

*Kemnitius Augustini sententiam, euertere per Tropum conatur.*

*Claud. de Sainctes Episcopus Ebroicẽs. repetitiõne 10. cap. 1.*

Audiui, inquit Claudius, pios viros, qui obijcerent, à Christo non fuisse oblatum sacramentum duobus illis, cum maxima infidelitate laborarent: Sed huic obiectioni Augustinus ita occurrit. Perdiderant fidem,

*Sermon. 14.*

dem, perdiderant ſpem, ambulabant mortui cum viuente, ambulabant cũ ipſa vita, cum illis ambulabat vita, ſed in eorum cordibus nondum erat vita. Tu vero ſi vis habere vitam, fac quod fecerunt, vt agnoſcas Dominum: Hoſpitio ſuſceperunt, tene hoſpitem, ſi vis agnoſcere ſaluatorem. Dominus ergo ſeipſum præſentauit in fractione panis. Diſcite vbi Dominum quæratis, diſcite vbi habeatis, diſcite vbi agnoſcatis, quando manducatis. Norunt fideles aliquid, quod melius intelligunt in iſta lectione quàm illi nouerunt, &c. Auguſtinus ex effectis panem illum in cœnà Cleophæ, ſacramentum corporis dominici fuiſſe probat. Chryſoſtomus verò idem confirmat, ex actionibus Chriſti, nempe ex ſingulari benedictione, & porrectione. Verba ſunt: Quod ſacerdos de manu ſua dat, non ſolum ſanctificatum eſt, ſed etiam ipſa ſanctificatio. Quoniam hoc non ſolum datur quod videtur, ſed etiam illud quod intelligitur. De ſanctificato ergo pane, licet & animali-

*Hom. 17. operis imperfecti in Matth.*

*Videtur panis ſpecies, intelligitur vera & viua Chriſti caro, quæ ſanctificat ſumentem.*

 bus

bus iactare, & infidelibus dare, quia non sanctificat accipientem. Si autem tale esset, quod de manu sacerdotis accipitur, quale est quod in mensa manducatur, omnes de mensa manducarent, & nemo de manu sacerdotis acciperet. Vnde & Dominus in via non solùm benedixit panem, sed de manu sua porrexit Cleophæ, & socio eius. Et Paulus nauigans, non solum benedixit panem, sed de manu sua dedit Lucæ, & cæteris discipulis. Quod autem de manu porrigitur, nec animalibus dandum est, nec infidelibus porrigendum: quia non solum sanctificatum, sed ipsa est sanctificatio, & accipientem sanctificat. Hæc illi patres, hæc illorum de cœna Cleophæ sententia. Sed video quosdam partim subridentes, partim frontem corrugantes, ac nostram hanc voluntatis Christi interpretationem non probātes, illaque Pauli opponentes, quibus ille, & institutum Christi sub vtraque specie vsum sacramenti huius approbat, & eam formam in cœna Domini tenendam & obseruandam docet, & præ-

*Sacramentū Eucharistiæ de manu sacerdotum accipiendum.*

*Act. 27.*

*Aduersarij quid opponāt patrum sententiæ.*

præcepti ſui rationem reddit his verbis: Ego enim, inquit, accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quod dominus noſter Ieſus Chriſtus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in mei commemorationẽ. Et calicem poſtquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine, hoc facite quotienſcunque biberitis in meam commemorationẽ: Quotienſcunque enim manducaueritis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat. Audiſne, inquiunt, quid Paulus doceat, quid ſe à Domino accepiſſe teſtetur, non ſolum panem, non ſolum calicem diſcipulis traditum, ſed vtrunque. Nec aliter Chriſti mortem annunciari, memoriamq́ue eius fieri, quàm & corpus Chriſti edẽdo, & ſanguinem eius potando, oſtendat. Ait enim: Itaque quotienſcunque manducabitis panem hunc, & bibetis calicem, mortem Domini an-

1. Cor. 11.

annunciabitis. Si(dicunt illi)Christus ſeipſum interpretatus, vnius vſum ſpeciei inſtituerit apud Cleopham, & ad memoriam crucis ſuæ alteram illam ſpeciem ſufficere oſtenderit, cur Paulus vtriuſque vſum in memoria mortis & crucis Christi poſtulet? cur ait: Quotiens manducaueritis & biberitis coniunctim? Num tu prudentior Paulo, qui tertium cœlum penetrauerit? qui omnia arcana à Christo didicerit, q ait: Ego accepi à Domino? Quid accepit? panem ſimul & calicem Apoſtolis datum. Cur non meminerit cœnæ in Emaus, vbi alteram ſpeciem cõtendis tantum Apoſtolis datam? Hieroſolymitanæ cœnæ Paulus myſterium à Domino accepit, illiusq́; formã retineri apud Corinthios ſuos vult. Si Chriſtus ſeipſum apud duos illos interpretatus, cur hoc myſterium Paulo non patefecerit? Cur interpretationem ſuam illi non expoſuerit? Non eſt difficilis ad hanc quæſtionem reſponſio. Vno verbo Pauli, tam diligẽs & arguta ratiocinatio profligabitur. Audi modo quid eodem in loco dicat

*Refellitur obiectio aduerſariorum ex verbis ipſius Pauli.*

cat, cum pœnam indignè sacramentũ Eucharistiæ Christi sumentibus cõminatur. Itaq;, inquit, quicunq; manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Audiuisti qd & quomodo dicat? Reum corporis & sanguinis Domini pronunciat fore, q̃ aut manducauerit panem hunc indignè, aut biberit calicem Domini indignè. Non dixit manducauerit & biberit, vt ante, sed manducauerit aut biberit indignè. Quod ante coniunctè dixit, & copulandi coniunctione contexuit, posterius disiunctiua particula, vel, loco copulatiuæ vsus, vt ostẽdat, & sub vtraq; specie, huius sacramenti vsum, à Christo esse institutum, & sub altera. Sub vtraq; in cœna illa suprema, sub vna in Emaus, apud duos discipulos. Et non minus reum esse eum, q̃ tantũ manducauerit panem hunc indignè, aut biberit de calice tantũ indignè, quàm illum, qui & manducauerit & biberit indignè. Quẽ igitur Paulus vsum sacramẽti sub vtraq; specie, panis & vini simul, à Christo se acce-

*Paulus seipsũ interpretatur*

docuit,paulò pòſt ſeiungit, & quæ ſit vis alterius ſpeciei demonſtrat. Nam ſi alterius ſpeciei vſus indignus,reum aliquem conſtituit, certè etiam eiuſdem dignus, iuſtum & gratum Deo reddit. Quod ſi & ad iuſtitiam,& ad condemnationem vnius vſus ſpeciei, tantam vim habet,quid tumultuaris, cur vnius vſum ſpeciei ab Eccleſia, in cuius ſinu veritatem ſuam Chriſtus repoſuit,Spiritu ſancto cuſtode ei appoſito comprobatum, reprehendis? Non vides, Paulum idē docere quod Chriſtus docuit? De vtraque ſpecie ſimul ſumenda primùm dixiſſe,mox, ne è ſuis verbis errares, & immotam eam regulam putares,nonniſi vtriuſque ſpeciei vſum legitimum iudicares,diſiunxiſſe,ac dixiſſe,manducauerit panem, aut biberit calicem indignè. Si enim in vſu alteram ab altera ſpecie ſeiungere nequaquam liceret, cur Paulus diſiunctè proferat,manducauerit,aut biberit,dicens:cur non potius dicat,manducauerit & biberit,vt ante dixit,ſed pro,Et,copulatiua,Vel, diſiunctiuam inſeruit,& quæ ante cōiun-

cōiūxerat, diſiūxerit? Nimirū hoc eſt, vt vtrunq; Chriſti inſtitutū oſtenderet. Etſi enim Chriſtus corpus ſuum & ſanguinem nobis obtulerit, vtriuſque vſum nobis liberaliter permiſerit: non tamen eam legem à qua diſcedere non liceret appoſuit, ſed voluntati Eccleſiæ permiſit, vt hoc ſacramento, vt commodiſſimum fidelibus ſuis videatur, vteretur, ac ita diſpenſaret, vt ratio temporum & hominum poſceret: Noluit enim cuiquam laqueum huius neceſſitatis imponere, neminem à ſua menſa arcere voluit: omnes ad ſe vocat. Quod non faceret, ſi neceſſarium vtriuſque ſpeciei huius ſacramenti vſum inſtituiſſet, & impietati eos allegaſſet, qui altera tantum vterentur, cum ſciret plurimos eſſe, qui ab vſu vini vel natura abhorrerent, vel voto, aliave de cauſa ab eo ſe abſtinerent. Quales erant Recabitæ, quæ tota familia ex voto patris ſui vino abſtinuit: quales Nazarei & alij voti rei, quos Chriſtus omnes beneficij ſui, & cœnæ ſuæ participes eſſe voluit. Sunt & nunc familiæ, & integræ na-

*Vſus Euchariſtiæ pro temporum & hominum ratione mutari poteſt.*

*Hier. 35. Bibere vinũ in æternum prohibiti ſunt Recabitæ. De Nazaræis nomen, ca. 6.*

nationes, atq; prouinciæ, quæ à vino vel instituto maiorum suorum, vel natura sua abstineant. Quid igitur si illi ad Christum veniant, si conuiuiũ eius ingrediantur, mensa Christi carebunt, quod vinum degustare nequeunt? Ecquidem Christi bonitati in omnes non conuenit, vt ob vsum vini aliquis pereat. Non solum pro discipulis, qui tum biberunt, suum sanguinẽ se profusurum dixit, sed pro multis alijs, & vniuerso mũdo. Et Christus sciuit in eorum numero, pro quibus victima erat futurus, plurimos esse qui vinum non biberent. Pro quibus si victima non erat, quomodo pro omnibus oblatus esse dicitur? Vidit igitur Christus fore multos, qui à calice suo abstinerent, vidit alios qui pane suo vti non possent, vel ob ætatem, vel ob morbum, quorum ori vinum tantũ infunderetur. Et propterea in cœnę Cleophę, panẽ solũ fregit, & alterã speciem huius sacramenti, tantam vim habere docuit, quanta in vtraq; consistat. Vidit hoc Paulus, q cum vtramq; speciem cõmendasset Corinthijs, poste-

*Christus pro omnibus mortuus.*

*Cur Christus in Emaus, panem solum frangerit.*

ſterius cum pœnā indignè ſumpti hu
ius ſacramēti exponeret, diſiunxit, &
non minorem pœnam deberi pro ſo
la manducatione indigna, & pro ſolo
calice indignè epoto, docuit, vt oſten
deret non minus diuinæ virtutis in v-
na, q̃ in vtraq; conſiſtere. Neq; eum, q
vtraq; vſus fuerit, plus habere, quam q
vna vtatur. Hoc illud eſt Manna, cuius *Exod. 16.*
copia paucitatem non ſuperabat. Tan
tum illi ſaturabantur ex eo qui vnum
Gomor collegiſſent, quam qui modi-
os plures compleſſent. Nec minus qui
pullos columbarum offerrent purga-
bātur, quam qui arietes & tauros. Ita
diuina ſcientia, ſacramenta & oblatio
nes ſuas, inſtituit, vt nemo excludere- *Nemo à gratia Dei, ex ſacramentorū vſu excluditur.*
tur ab eis. Non ſolum autem hic vnus
locus Pauli ſententiæ noſtræ patroci-
natur, ac Chriſti inſtitutum interpre-
tatur. Sunt & alij plures, in quibus ille
apertiſſimè, vſum huius ſacramenti
ſub vna ſpecie, nō obſcurè indicat. Vt
decimo Epiſtolæ prioris ad Corinthi-
os cū ait: Poculum benedictionis, cui
benedicimus, nōne cōmunicatio ſan
guinis Chriſti eſt? quomodo vn⁹ panis
vnum

disiungi, ea & dicendo disiungi nefas est: nec quod vtriusque est, alteri tantum tribuendum. Sed dices, à parte totum intelligi, & ad Tropum confugies? Ego vero Tropum in hoc loco tibi non concedo, proprijs verbis panis & corporis Christi virtus hoc loco explicatur. Quemadmodum & in hoc: Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem sumebant cibū. Nam his verbis Lucas ostendit, quanto studio, & quanta concordia, fideles illi, qui verbum Dei receperant, & publicè in templo studia pietatis colerent, & domi, quod in templo illo illis non liceret, Christi mortis memoriam recolerent, cuius ergô Eucharistiam, antequam cibum communem degustarent, sumebant. Et eo modo iuxta præceptum magistri sui Christi mortem annunciabant, crucemque quam animis contuerentur illius ante oculos suos defigebant. Nam frangere panem cum dicuntur, non simplicem esum panis voluit Lucas significare, sed illam sacram communionem

*Obiectionis refutatio.*

*Acto. 2.*

*Eucharistia ante omnem cibum sumebatur.*

*Ergô hoc loco significat causam vt illius ergô venimus.*

*ver. 6. Act.*

*Frangere panem quid sit.*

nem corporis Christi. Fractio enim panis, cœnam sacram & Dominicam, in qua sacramẽtum Eucharistiæ (symbolum vero & Christi mortis, & fidelium inter se amoris, & coniunctiones, & Christum Dominum) sumitur. Quam sententiam non modo Catholici sequuntur, verumetiam Caluinus ipse probare videtur. Nam cum hæc verba Lucæ in Actis Apostolorum: Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus, exponeret, ita ait: communicatio ad mutuam coniunctionem, eleemosynas aliaque fraternæ coniunctionis officia, referri debet: fractio panis, ad cœnam dominicam, & precationis & publicas preces. Hæc ille. A quo Sarcerius, vel quiscunque ille fuerit alius ex illis, è quorum scriptis Marloratus, expositionem, vt ille putat, Catholicam, in nouum testamentum collegit, in horum verborum expositione: Et quotidie perdurantes in templo, & frangentes circa domos panem dissensit. Nam ait, hanc panis fra-

Caluinus.

fractionem, nonnulli ad eleemosynarum distributionem, quæ pauperibus fiebant, alij ad cœnam sacram referunt. Sed & ipse Caluinus quasi eum pœniteret, rectè aliquid à se dictum, in hac eadem expositione, sibi ipse aduersatur, nam ait: Sed Lucas potius significat Apostolos simul vesci solitos, & quidem frugaliter. Quasi vero statim sequatur, eam cœnam dominicam esse, vbi aliqui simul vescantur: cum Paulus Corinthiorum illam cœnam, ad quam publicè conueniebant, neget esse dominicam: Conuenientibus vobis in vnum, iam non est dominicam cœnam manducare. Apertè enim hic videmus, etsi simul Corinthij vescantur, Paulum cœnam eorum dominicam esse negare, quod ea male vterentur, quod & inebriarentur, & alios contemnerent, & quod inter Eucharistiam & communem cibum discrimen nullum statuerent. Communis illa erat Corinthiorum cœna, & tamen non dominica, sed ea do-

*Caluinus sibi aduersatur.*

*Non statim cœna Christi est, vbi pane simul vescuntur.*

*1. Cor. 11.*

*Cur Paulus Corinthiorum cœnam, neget esse dominicam.*

*Quæ cœna dominica.* ea dominica eſt, in qua panis ille cœleſtis Chriſtus in charitate ſumitur. Nec propterea cœna dominica eſt, quia frugalis: nam & Philoſophorum tales cœnę erant, nō tamen dominicę. *Philoſophorū cœnæ.* Atque hic videre licet, noui iſtius dogmatis concordiam, adeò vt non ſolum alter ab altero diſſideat, ſed etiã idem à ſeipſo, & quidẽ vix tribus lineis & verſibus interiectis. Vides enim, Caluinum fractionem panis cœnam dominicam expoſuiſſe, mox cœnas frugales Apoſtolorum, panis fractionem intelligi velle: & quidem iſti Eccleſiam veram apud ſe eſſe contendunt. Et cum primum verum & præcipuum ſignum, Eccleſiæ veræ eſſe dicat Caluinus, cõſenſum dogmatum, ipſe in expoſitione vnius & eiuſdem loci, non modo ab aliorum dogmate diſſentit, ſed etiam ſibi ipſi repugnat, & inconſtans eſt. Fractionem panis, iam cœnam dominicam, iam Apoſtolorum communem, frugalem tamẽ, appellat, & quicquid in buccam veniat, abſque iudicio & conſtantia profundit. Omnes illi qui crediderunt,

idem

idem sentiebant, omnia communia habebant, vno animo erant, Caluinus verò nec secum quidem conuenit, tantum abest vt cum alijs conueniat. Non omnia communia isti habent, sed quot capita tot sensus, tot errores & doctrinæ fallaces, apud illos ex hoc nouo Euangelio enascuntur. Sed ad cœnam Domini, verbaque diui Lucæ redeamus. Erant, inquit, perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & frangentes circa domos panē. Quæ verba repetita disertè testantur, non vtraque Eucharistiæ specie, turbam illam fidelium vsam, in cœna dominica celebranda. Panis tantum fracti meminit, calicis nulla omnino mentio. Cum, si altera specie absque altera perlegem Christi vti non liceret, vtriusque meminisset Lucas, & ita rem factam vt fieret, narraret. Atque non est ex hoc loco obscurum, Ecclesiam illam ex Iudæis constantem, in cœna Domini Eucharistiæ sacramento, sub sola specie panis, prætermisso calice, vsam. Negari enim non potest, ita rē

*Euangelic non omnia cōmunia habēt.*

*Ecclesia ex circumcis. s. al tera specie vsa.*

gestam esse in ea Ecclesia, vt disertè à Luca narratur, & constat fractionum panis, non communem, sed corpus Christi designare. Quod vel inde liquet, quod Lucas post fractionem panis, sumere consuetos fideles illos cibum cum exultatione narret. Nam ait: Et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione. Celebrata enim primum sacra illa cœna, & communione, conuiuabantur cum magna lætitia, & simplicitate cordis, frugalitate Apostolis digna adhibita. Quam frugalitatem & simplicitatem Apostolicam, quod Corinthij non seruassent, reprehēdun tur ab Apostolo. Constat igitur Apostolicam Ecclesiam, perfectis orationibus, & officijs pietatis in templo, domum reuersam, cœnā Domini, quod in templo non liceret, cœnasse, & sacramentum Eucharistiæ sub panis forma tantum sumpsisse. Atque ita communionem Eucharistiæ, sub vna specie, qua ratione nunc Ecclesia apud populum vtitur, Apostolicam institutionem esse, nec esse, cur hoc nomi-

*Post Eucharistiam fideles conuiuabantur.*

mine noua ista dogmata Ecclesiam Romanam reprehendant, & se aliquid acutius quod illa non videret, vidisse iactent. Viderunt hoc huius instituti Apostoli oppugnatores: legerunt hæc quæ referimus ex Actis Apostolorum, & propterea in alium sensum hæc verba verterunt. Alij fractum panē, eleemosynas, quę in pauperes effunderentur, asserentes: alij simplicem vsum panis interpretantes: alij ad Tropum, tanquam in sui erroris latebram refugientes, ex parte totum accipi volebant, & fractionem panis non solum corpus Christi, sed & calicem, totamque illam cœnam significari asserentes, ac vt contra apertam verborum Lucæ sententiam, ita aduersus suam conscientiam, pugnarent, falsis interpretamentis verum sensum euerterent. Atque ecquidem, si Lucas semel hac dicendi forma vsus fuisset, nec toties eandem cœnandi rationem, totidem verbis retulisset, possent habere quod dicerent. Alium locum afferent, per quem hunc quem retulimus expli-

*Euangelici sensum verborum Lucæ inuerterunt.*

*Euangelici contra suam conscientiam pugnant.*

carent, vt nos fecimus, cum Christi cœnæ institutionem, per cœnam illam Cleophæ, explicaremus: & cum Pauli communionem illam calicis & panis, distinctè & diuisim sumi posse diximus, recitata de eadē cœna, alia verborum Pauli forma, in qua ea quę coniuncta protulerat, disiuncta profert dicens: Itaque quicunque manducauerit panem hunc indignè, aut biberit calicem, reus erit corporis & sanguinis Domini. Sed cum Lucas toties cœnam illam Apostolicam nobis referens, solius panis tantum meminerit, apertè docet, vnius speciei vsum, huius sacramenti in Ecclesia illa fuisse. Audi quæso, quid Lucas toties referat, & quibus referat verbis. Vna, inquit, Sabbatorum, cum conuenissent ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis, produxitque sermonem vsque ad mediam noctem. Audis quid dicat? conuenerunt inquit. Cur conuenerunt? ad frangendum, inquit, panem. Panis tantum meminit, calicis nulla mentio. Sed neque dubium, ad cœnam illam domi-

nicam turbam illam noctu conueniſſe, in qua Paulus vſq; ad lucem diſputaret. Quid deinde Lucas narrat? Aſcendens autem, inquit, frangenſq; panem, & guſtans. Vbi vides apertè Lucam teſtari, poſt concionem ſuam Paulum panem conſecraſſe, populo dediſſe, & ipſum ex eodem pane ſancto deguſtaſſe. Si communis illa cœna eſſet, non guſtandi tantum cauſa inſtitueretur, ſed ſatiandi: Sacramenti deguſtatio ſatis eſt. Non temerè igitur, inquit, & ipſe deguſtauit, verum vt id ſe facere oſtenderet, quod Chriſtus apud duodecim fecerat. Qui & ipſe, antequam Apoſtolis panem & calicem diuideret & porrigeret, primo ex eodem deguſtauit, vt cibus ille in vnum corpus omnes, & inter ſe & ſecum coniungeret: eſt enim hoc ſacramentum, vinculum charitatis. Et alibi de eodem Paulo idem ſcribit: Et cũ lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes ſumere cibum. Et paulò pòſt: Et cum hæc dixiſſet, ſumens panem, gratias egit Deo in conſpectu omnium. Et cum fregiſſet, cœpit manducare.

*Cur Paulus guſtauerit panem ſacrum.*

*Act. 27.*

Panem accepiſſe Paulum ait, ſuper panem gratias Deo actas, panem fractū, calicis nulla mentio. Nec dicere licet, hoc loco ſermonem eſſe de communi pane edendo, nam formula cœnæ ſacræ adhibita ſumpſit. Gratias egit, fregit, & Lucæ & alijs fidelibus, qui cum eo erant dedit, & ipſe manducauit. Certè in hoc loco, Fregit, nihil aliud ſignificat, quàm ſacrum myſterium, & communicationem. Nam ſi fractio illa diſſectionem panis ſignificaret, quid opus eſſet eam toties inculcare, cum facile intelligi non expreſſum etiam poſſit. Qui enim comedunt panem, vel manu frangunt, aut cultello ſecant, & plerunque panis eſt eius generis, vt abſque œconomia iſta, comedi non commodè poſſit: Leue eſt officium hoc in edendo, nec meretur tantam inculcationem, qua Lucas ita diligenter vtitur. Non quæuis fractio hic ſignificatur, ſed illa ſacramenti Euchariſtiæ diſtributio inter fideles. Atque ex his Lucæ verbis, ſub ſpecie panis tantum communionem ſacram fuiſſe in Eccleſia, a-

pertè constat. Et sumpta Eucharistia, communes cibos apponi fidelibus illis solitos esse, vt illa verba, quæ primo retulimus ex Actis, manifestè testantur, quæ fractioni panis, hoc est, Eucharistiæ distributæ, communem cibum subijciant. Ita enim ait Lucas: Quotidie perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis. Quæ postrema particula, cordis, euertit cauillationem illam Euangelicorum, cum simplicitatem, frugalitatem ciborum significare aiunt, cum Lucas cordis simplicitatem dicat, qua isti carent: sunt enim callidi illi serpentes dolo pleni. Sed & in cibis eam simplicitatem isti non seruant, non est, quod Apostolorum vestem sibi obtendant, gulæ & ventris mancipia. Solitum autem (vt hoc amplius dicamus) cibum communem, fractioni illi panis sacri, subijci, ex Epistola ad Corinthios priore, & ex Tertulliano atq; alijs constat. Nã quoties ad sacra sua perficienda aggre-

*Euangelicorũ peruersa interpretatio refellitur.*

*Tertullia. ad vxorem.*

gabanturChristiani, solitos prçter cœnam dominicam commune conuiuium apparare, & instruere: quod etiam à Paulo cœna dominica vocatur, sed propter promiscuum vsum fracti panis, & illius cōmunis cibi, hic posterior Agapes seu charitatis nomen accepit, quo Iudas etiam in sua canonica ipsum nuncupauit, & vera cœna dominica fractionis, seu benedictionis, seu gratiarum actionis vocabulum retinuit. Propterea ex eo more primi Christiani metu persecutionis, suis quique in ædibus conclusi, ante omnem vulgarem cibum, panem illum fractionis seu benedictionis, degustabant: vt quod in publicis conuētionibus fiebat, etiam domi obseruarent. Hoc est quod in tribus locis Actorum productis difficultatem parit, quia in ipsis semper fractioni panis, cibus ille communis subnectitur. Nec animaduertitur differentia inter vtrunque cibum, & ordo percipiendi vtrunque, sed ex significatu posterioris, priori fraudem faciunt. Nec mirū, cum ex posterioris vsu Apostolus redar-

*Conuiuia Christianorū.*

*Claudius Sainctes.*

*Aduersarij confundunt cœnam Domini cum cœna communi, quæ Eucharistiæ sumptæ succedebat.*

darguat prioris abusum, quem committebant Corinthij, quia indifferenter vtroque vescebantur, non dijudicantes priorem esse corpus Domini.

Beza non it inficias, quin cœna Domini celebraretur ante commune istud epulum: recusat tamen, de illa fractione panis interpretari, ne vllo pacto communioni sub vna specie suffragari videatur. A quo quærerem, quid tandem causæ erat, cur, si fractio illa panis de vulgari & communi cibo intelligeretur, tantoperè à Luca nobis inculcaretur, & quid magni & arcani referret. si eo solitos vesci domi Christianos narraret? quod nisi stipes sit ita esse intelligat, quottusquisque est qui singulis diebus non capiat cibum, aut ea non peragat, sine quibus vita conseruari nequeat? Non puto Lucam ita ociosum, & sui oblitum fuisse, vt, quæ omnes scirent, omnes passim facerent, tanquam noua & magna in cœtu Christiano fieri narraret. Est alia grauior causa, cur tam diligenter cœnas huius generis inculcat, vt communionem & panis fractionem

Beza reprehensio.

*Euangelici fideles Epicuri discipulos faciunt.*

Ecclesiæ illius Apostolicæ describat. Nisi forte Christianos illos Epicuri alicuius noui discipulos fuisse accipiamus, qui cœnis totas noctes, non pietati vacarent, quasi domos ad manducandum, & cœnas suas instruendas, non haberent. Aliena hæc sunt à cœtu illo, qui noctes integras, audiendo verbo Dei, & canendis hymnis, memoria mortis Christi recolendæ, ac precibus fundendis, insumebant, ac ad diei crepusculum siue auroram, cœnam dominicam, mortem Domini annunciantes, celebrabant. Quod illa quæ iam retulimus verba disertè testantur: Erant, inquit Lucas, perseuerantes in doctrina Apostolorum, in cõmunicatione & fractione panis, quibus Euangelista proculdubio, actiones non communes istas, & vulgares, sed præcipuas & peculiares congregationis Christianæ perstringit. Actionis autem eius partes sunt, communicatio, panis fractio, ac preces. Et communicatio quidem quæ Græcè κοινωνια dicitur, significat, vel participationem, quod eius Ecclesiæ omnia com-

*Actio Christiana præcipua cuius hic partes describuntur, est sacro sanctum sacrificium quam missam appellamus*

communia essent, simulq; cibum, vt vna familia omnes capiebant: vel ob lationem & communicationẽ, facultatem pecuniæ, quam vẽditis suis possessionibus ad pedes Apostolorum offerebant, vnde omnes communiter viuerent, & inopes subleuerentur: vel oblationes & collectas, quas faciebãt in vsus pauperum, quãuis & ipsa corporis Christi fractio, & distributio, non incommodè ea voce comprehẽdi possit. Quam quia Lucas à communione seiunxit, dicimus fractionẽ panis esse corporis Christi, & Eucharistiæ distributionem, quæ in memoriã mortis & testamenti Christi fieret. Et propterea Paulus Christum in cœna illa suprema dixisse ait: Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur, offertur, & crucifigitur. Scripsit Beza in annotationibus ad Acta Apostolorũ, nouo genere dicendi Euangelistam esse in re noua exprimenda, vsum: fractionem tamẽ, quam rem nouam appellat, conuictum illum Hebræis vniuersalem, & cœnas amicorum intelligi hoc loco vult, & fractionem

*Præcipuas aũt partes dixi, quod his tribus cætera quæ infra referuntur contineãtur, vt in toto membra.*

*Non satis liquet, inquit Claudius de Sainctes ex quo hæc decerpsimus, quid κοινωνίας dictione significet Lucas, & proinde eã vocem varie interpretatur.*

*Bezæ sententia refellitur.*

Fractio panis Bezæ quid significat.

panis appellari, quod more Hebræorum panis nomine omnis cibus intelligatur. Qui panis quod non cultris secaretur, sed manu frangeretur, ipsa conuiuia, quæ vna agitare solebant, nomine fractionis panis intelligeretur. Hæc quidem ille, repugnante sua conscientia & scientia, ne occasionem nobis daret ex hoc loco, vsum vnius speciei Sacramenti Eucharistiæ, in Ecclesia illa Apostolica fuisse, & eum morem ab Apostolis Ecclesiam accepisse, demonstrandi & docendi.

Bezæ ingenium.

Est enim Beza in corrumpendis scripturis, & à vero sensu auertendis, satis ingeniosus. Vbi tamen ego hoc eius tantum ingenij acumen miror, rem nouam fractionem panis appellat: ob idque Lucam nouo genere dicendi, & auribus Græcorum & Latinorum inaudito, vsum, cum communis illa amicorum concœnatio, & conuiuia Hebræorum antiqua & peruulgata sint, quæ ille fractionem panis appellari ait, si conuiuia illa vsitata, & antiquitus instituta, amoris mutui causa. Quomodo rem nouam Lucas putauit

uit, & nouæ rei exprimendæ nouum nomen quæsierit? cum hoc nomen, panis fractio, vt & res ipsa, apud Hebræos antiquum sit, eo ipso teste, cũ asserit conuiuia apud Hebræos à pane fracto, fractionem panis appellari, & vsitatum eis hunc morem conuiuandi, & appellationem hanc antiquam. Quid, quod nec Romanis quidem res ipsa noua est, conuiuia amicorum & Chereæ Terentiano non ignota, quem cæteri symbolo dato adolescẽtes, cœnæ communi parandæ præfecerant, ac ex Pyreo eo nomine in vrbẽ dimiserant. Quod igitur fractionem panis Christi instituto, rem nouam vocas, placet: quod conuiuia & concœnationes vulgatas, eo nomine appellas, ineptis. Nouum Christus cœnandi modum instituit, non solum Græcis & Latinis, sed Iudæis ipsis ignotum. Nemo ante Christum hoc modo cœnauit: nemo carnem suam & sanguinem suum conuiuis apposuit: nemo panem in suum corpus & vinũ in sanguinem vertit: nemo seipsum manducãdum dedit. Nouum est hoc con-

*Beza sibi contrarius.*

*Noua cœna Domini.*

conuiuium,& calix noui Teſtamenti,non illius veteris Iudæorum cœnæ & conuiuij peruulgati, quod tu fractionem appellari dicis. Nam cum Lucas vt modo dixi, tam diligenter Eccleſiæ illius Apoſtolicæ actiones deſcriberet, fractionem panis,vt præcipuam Apoſtolorum doctrinæ partem, ipſe narrat: quid magni ſit, aut noui affertur, ſi fractio illa eſt communis cibi manducatio? & conuiuium vulgare? conuiuia illa Rabinorum non ſunt doctrina Apoſtolorũ? Nouam cœnam Chriſtus tradidit,nouas communiones & orandi modũ. Rectius Beza facies,ſi fractionem panis apud Lucam, corporis Chriſti veri & viui diſtributionem inter fideles illos à Luca nobiſcum vocari credas, & miſſo Tropo, tuaque ingenioſa Synechdoche, in forma panis ſolius Euchariſtiam ſumere ſolitos Apoſtolicos illos viros, præſertim in ea Eccleſia,quæ ex circuncisione erat, afferas, alteriusque ſpeciei huius ſacramenti vſum, non nouum, nec tyrannide

pon-

pontificia obtrusum, sed ab Apostolis & ipso Christo profectum, Ecclesiæ traditum, & in vsu vel semper, vel primus temporibus fuisse, nec temere concilia eam rationem approbasse, nec temere approbationem suam immutari noluisse. Sed Beza misso, quæ tertia fuerit actio Ecclesiæ Apostolicæ, videamus. Ea autem est, preces siue oratio, quæ Græcis προσευχή est. Quod genus solenne & vsitatum Augustinus fuisse Christianorum Antistiti, dum Eucharistiam conficeret & offerret, scribit. Quod cum ita sit, non dubium est, Lucam in hoc loco, non vulgata conuiuia, & cibos illos communes describere. Sed illud conuiuium CHRISTI nouum, in quo seipsum, hoc est, corpus & sanguinem suum suis apposuerit manducandum. Et corpus quidem non illud crudum, quale eum daturum Capharnaitæ putabant, nec cruorem incisa vena dimissum, sed panem in suum corpus, & vinum in sanguinē mutatum, at ita commutatū, vt substan-

tia ipsa elementorum in substantiam sui corporis & sanguinis veri versa elementorum proprietates, siue accidentia, vt color, sapor, etsi quæ alia fuerint, tamē manerent. Nam & ipse diuinitatem suam, cuius maiestatem & lucem, oculi nostri, vt & Iudæorum, nō perferebant, humanitate conuestiuit, accessumque nobis facilem ad se præbuit, ita carnem suam & sanguinem, forma & accidentibus elementorum texit, vt nos absque vlla nausea, ad se manducandum facilius pelliceret, vt receptus intra viscera nostra, vitam nobis daret. Quicquid ille egit, nostri commodi & vtilitatis nostræ causa egit. Non solum nobiscum versari, sed etiam intra nos esse voluit, suoq; corpore nos alere, & sanguine potare nō dedignatus est, vt in idem corpus cū eo coalesceremus. Quicquid igitur hoc loco fecisse Christiani illi narrantur, non vulgare intelligi debet, sed ea quæ salutem nostram operarentur: vt, verbi Dei auditus, oblationes collectæ, cœnæ dominicæ celebratio, & precationes, quæ ad eius consecratio-

*Fidelium cœtus & conuentus quid haberent.*

nem,

nem, gratiarumque actionem, & omnium hominum commendationem fierent, Sicut Iustinus, Tertullianus & Augustinus, annotarunt. Fractio igitur panis, hoc in loco Lucæ, est oratio & doctrinæ Apostolicæ auditio, & eleemosyna, Eucharistiæ communicatio, & quæ ad cultum diuinum, & Christi sacra mysteria pertinent. Nec ad profanum cibum conuiuiaq; vulgi transferri debent, veritasq; instituti Apostolici, callidis interpretationibus, & auersione sacræ scripturæ deprauari non debent. Non quidem negamus, vt iam diximus, primos illos Christianos, sacris illis peractis & Christi Eucharistia sumpta, accumbere simul solitos, & cibos communes capere, & eas cœnas Agapas appellatas, quod amoris mutui, & corroborandæ fraternitatis gratia, instituerentur: Sed cœnam dominicam, quæ fractio panis legittimè dicitur, à cibis communibus secernimus. Quod Corinthij quia non fecerũt, meritò à Paulo suo magistro reprehenduntur. Sed de interpretatione locorum, tum Chri-

*Fractio panis apud Lucam quid sit.*

*Agapæ.*


*Corinthij cur reprehensi à Paulo.*

sti, tum Apostoli, tum Lucæ, satis. Quis deinceps mos in Ecclesia fuerit, quo ritu sacri antistites in ea re vsi sint: & num hanc nostram interpretationem de vna specie sacramenti suis temporibus probarunt, videamus, ac non tam quid de eo instituto dixerint, quàm quid fecerint, perquiramus. Vsus & consuetudo, vt omnium legum, ita legis Christi, & scripturæ sacræ, optima interpres est.

*Exemplis multis è scriptis patrum de sumptis vsus Eucharistiæ sub altera specie vsitatius & receptus semper in Ecclesia fuisse demonstratur.*

## CAP. IIII.

*Patres quomodo Eucharistiæ Sacramentum dispensarent.*



PRimum igitur omnium constat infantibus in veteri illa Ecclesia Sacramentum Eucharistiæ solitum, vt cæteris omnibus fidelibus dari. Hoc enim non leuis aliquis, non nostræ ætatis author D. Augustinus, & ob doctrinam & ob pietatem & vetustatem magnæ authoritatis vir

&

& pontifex, non vno loco scriptum reliquit, ac firmissime vrget illa verba Christi: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem, non habebitis vitam in vobis: vt ad cæteros omnes, ita etiam ad infantes pertinere. Et propterea vsum Eucharistiæ eis non esse negandum contendit. Quod ita esse videbis, si legas eius epistolam vigesimam tertiam, & centesimam sextam, centesimam item septimam: contra item Iulianum Pelagianum librum primum: præcipuè verò librum de peccatorum meritis & remissione. Et quidem non solius Augustini ea sententia erat: nam idem Innocentius, idem Eusebius Emissenus vrgent, & sententiam Pelagianorum oppugnāt. Nam cum Pelagiani, infantes nullo modo peccato originali illo, quo omnes infecti sumus in Adamo, obnoxios esse affirmarent, ac dicerent, Baptismum quidem eis necessarium, vt ingrediantur in regnum Dei, & transferantur de bono in melius, cum scri-

*Ioan 6.*

*Tēpore Augustini infantibus Eucharistia dabatur.*

*Pelagianorū error.*

*Ioan. 3.* ptum sit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, eum in regnum cœlorum non ingressurum: nihilominus tamen, si absque Baptismo decessissent, promittunt eis vitam beatam & æternam extra regnum Dei. Augustinus & cæteri patres contra contendebant, vt absque Baptismo in regnum cœlorum, non patere infantibus ingressum, quod Pelagiani concedebant. Ita absque vsu sacramenti & manducatione Eucharistiæ, eos vitã æternam & beatam nunquam habituros, proptereà quod Christus disertè dicat: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quibus verbis non tantum adultos, verũ etiam infantes obligari, & Augustinus, & alij patres, qui contra Pelagianos decertarunt, contendebant, & tãquam indubitatum ponebant, neminem posse ad vitam peruenire, sine participatione Sacramenti Eucharistiæ, & reali sumptione corporis dominici: neminem verò capacem eius esse, nisi qui Baptisatus esset, & nomen

*Qui nõ est baptisatus non est capax Eucharistiæ.*

Chri-

Christo dederit. Cum igitur infantes Pelagiani baptisati non fuerint, non posse eos sacramenti Eucharistiæ participes & capaces esse, concludebant: ac propterea neque vitam æternam & beatam consecuturos, cum nemo vitam æternam in se habeat, nisi qui carnis & sanguinis Domini particeps factus fuerit. Cuius participes infantes non baptisati esse non poterant. Ex quo sequebatur, nulli vitam dari sine baptismo, atque absque Eucharistiæ vsu. Et quidem non quemuis vsum tum patres illi & Ecclesia, sed eũ qui corporalis est, pueris necessarium pronunciarunt. Quod decretum eorum, est contra Pelagianos sub Innocētio primo factum, & ita factum, vt Pelagiani contra mutire non auderēt. *Decretum contra Pelagianos.* Quod cum ita sit, non dubium est, infantibus Eucharistiam Augustini temporibus solitam dari, eiusque vsum corporalem vitæ consequendæ gratia illis necessarium esse, iudicatum ac decretum. At quotusquisque est? qui non videat infantes sacri illius panis, qui tunc dabatur capaces non fuisse,

quem illi mandere & deglutire non possent, lacte nutricum solo, vitam sustentantes? Quamobrem non vtramque speciem eius sacramenti dari illi solitam, verum eam tantum, quam sumere & deglutire possent, qualis erat calix. Quem solum si nefas patres illi absque carne Christi dari iudicarent, nunquam dedissent, ne præcepto Christi vim inferrent, sed vtrunq; simul aut neutrum dari præcepisset necessariò Et quidem solere eos in os infantium vinum solum absque pane infundere, vel ex illo D. Cypriani certum est, quæ de infante puella narrat, quæ primum calicem auersata, deinde sanguinem Christi renuenti sibi infusum, euomuerit. Quod quomodo Cyprianus narret, & quale hoc fuerit, audiamus. Parentes, inquit ille, forte fugientes, dum trepidi minus consulunt, sub nutricis alimento paruulam filiam reliquerunt, relictã nutrix detulit ad magistratus. Illi ei apud idolum quo populus confluebat, quod carnẽ necdum posset edere per ætatem, panem mero mixtũ, quod tamen & ipsum

*Infantibus calix tantum dabatur.*

*Sermo. 5. de lapsis.*

ſum de immolatione pereuntium ſuperat, tradiderunt. Recepit filiam poſtmodum mater. Sed facinus puella commiſſum, tam loqui & indicare nõ potuit, quã nec intelligere prius potuit, nec arcere. Ignoratiõe igitur obreptum eſt, vt ſacrificantibus nobis, eam ſecum magiſter inferret. Sed enim puella mixta cum ſanctis, precis noſtræ & orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis æſtu fluctuabunda iactari, velut tortore cogẽte, quibus poterat indicijs, cõſcientiam facti in ſimplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Vbi vero ſolẽnibus adimpletis calicem Diaconus præſentibus offerre cepit, & accipientibus cæteris, locus eius aduenit, faciem ſuã paruula inſtinctu diuinæ maieſtatis auertere, os labijs obturantib. premere, calicem recuſare. Perſtitit tamen Diaconus, & reluctãti licet de ſacramento calicis infundit. Tũc ſeq̃tur ſingultus & vomitus. In corpore atq; ore violato Euchariſtia ꝑmanere non potuit, ſanctificat⁹ in Dñi ſanguine ꝑ&t⁹, de pollutis viſcerib⁹ erupit: tãta eſt

testas Domini, tanta maiestas. Secreta tenebrarum sub eius luce detecta sunt, sacerdotem Dei, nec occulta crimina fefellerunt. Hæc circa infantem, quæ ad loquendum alienum circa se crimen, nec dum habuit ætatem. Hæc Cyprianus disertè narrat, & ita narrat, vt puellæ illi calicem tantum infusum fuisse in os apertè doceat, panis sacri nulla mentione facta, quem infans deglutire non posset. Confirmāt hanc sententiam nostram, doctissimus, Augustino & Cypriano longè posterior, Rodolphus Ardens, Guilhelmi quarti Aquitaniæ ducis concionator, qui necessitatem illam etiam suo tempore fuisse creditam confirmat, in illa verba: Itaque epulemur. Vbi sic loquitur: Monemus & vos charissimi, vt omnes pariter epulemur: epulum animabus vestris necessarium, scriptum est enim; Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis calicem, vitam æternam nō habebitis. Vnde statutum est, vt pueris mox baptisatis, saltem in specie vini tradatur, ne sine necessario discedant

*Post tempora Augustini Eucharistia infantibus dabatur.*

dant sacramento. Quod institutum illa tempora firmissimè retinuerunt. Nam posterius pueris Eucharistia iustis de causis denegata: Ecclesia enim Spiritu sancto se docente, sacramentis ita, vt tempora, rationesque præsentes postulant, vtitur, & multa commodè immutare solet. Quod cum alijs in rebus videre est, tum maximè in huius sacratissimi sacramenti Eucharistiæ. Data est Corinthijs sub vtraq; specie à Paulo, quod Corinthiorum ingenia eam rationem postularent, ne gens illa arguta, & disputationibus assueta, Christi mysteriorum ignara, doctrinam Christi & institutũ non integrè sibi tradi putaret. At Iacobus Hierosolymitanis suis, panem tantum fregit, calice prætermisso: cuius diuersitatis rationem viri docti adferunt, quod legis cæremonias & præcepta, non statim Apostoli sustulerint, sed quantum licuit, ritibus Iudæorum, iura Christianorum accõmodarunt, & ad eorum normam attemperarunt. Id apparet in circuncisione Timothæi, in delectu ciborũ, in suffo

*Eucharistia infantibus denegata.*

*Ecclesia mutat vsum Eucharistiæ pro ratione temporum.*

*Iacobus sub vna specie communicat.*

*Act. 15.*
*Act. 16.*

cato & ſanguine, in raſura cappillorũ At populus Iudæorum, abſtinebat à libamentis ſacrificiorum. Et in Deuteronomio ipſi vertitur vicio & probro, quod biberit vinum libaminum, more gentilium. Contra verò gentiles, perinde vino ſacrificiorum fruebantur, atq; carne. Quod Paulus ipſe oſtendit, quando, inquit, non poteſtis bibere calicẽ Domini & calicem dæmoniorum. Nec poteſtis participes eſſe menſæ Domini, & menſæ dæmoniorum. In re ergo libera & indifferẽti, de vna aut de vtraq; ſpecie, id ſequuti ſunt Apoſtoli, quod moribus vtentium & religioni conueniebat. Vt Iudæis vnam de ſacrificio ſpeciem concederent, & gentilibus vtramq;, quoniam ita receptum erat apud vtroſq; de publico ſacrificio participare. Vt autem infantibus panis non capacibus, vinum in os ſolum infundebatur, ita ad ægrotos, & qui domi priuatim Euchariſtiam ſumerent, tantum panis deferrebatur. Quod non paucis neque obſcuris Authorum magnorum teſtimonijs patet. Licuiſſe au-

*Deut. 32.*

*1. Cor. 11.*

*Euchariſtiæ liber vſus.*

*Aegrotis ſub ſpecie ſola panis Euchariſtia dabatur.*

autem tum domi priuatim Euchariſtiam ſumere, tum publicè in cœtu ad quem omnes conueniebāt. Quod ex Tertulliano Apoſtolicis temporibus ſcriptore vicino, facile probatur. Nam de corona militis ſcribit, ita ait: Euchariſtiæ ſacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præſidentium ſumimus. Planius de oratione ita loquitur. Similiter de ſtationum diebus, non putant plerique ſacrificiorum orationibus interueniendum, quòd ſtatio ſoluenda ſit accepto corpore Domini. Nonne ſollennior erit ſtatio tua, ſi & ad aram Dei ſteteris, accepto corpore Domini, & reſeruato, vtrunque ſaluum eſt, & participatio ſacrificij, & exequutio officij. De domeſtica & priuata communione, idem ad vxorem ait: Non ſciet maritus, quid ſecreto ante omnem cibum guſtes: & ſi ſciuerit, panem non illum credit eſſe, qui dicitur. Cyprianus eundē morē agnoſcit.

*Euchariſtiæ vſus publicè tum priuatim.*

*Euchariſtia de manu ſacerdotum ſumenda.*

*Lib. 2.*

Cum

*Sermo. 5. de lapsis.* Cum quædam, inquit, arcam suam in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. Et alius qui & ipse maculatus de sacrificio, à sacerdote celebrato, partem cum cæteris latenter ausus est accipere, sanctum Domini edere, & contrectare non potuit, cinerem ferre se apertis manibus inuenit. Documento vnius ostensum est Dominum recedere, cum negatur. Extat Græcè Epistola Basilij ad Cæsariam Patriciam, quæ rem ipsam copiosè explicat, & ea sic habet: Illud autem in persecutionis temporibus necessitate cogi quempiam, non præsente sacerdote, aut ministro .i. diacono, communionem propria manu sumere, nequaquam esse graue, superuacaneum est demonstrare, propterea quòd longa cõsuetudine, hoc ipso rerum vsu confirmatum est. Omnes enim in eremis solitariam vitam agentes, vbi non est sacerdos, communionem domi seruantes, à seipsis communicãt. In Alexandria verò & in Aegypto, vnusquisque

*Obserua vim Eucharistiæ.*

*Tempore necessitatis Eucharistiam absque sacerdote sumi, cõcedebatur olim.*

que

que eorum, qui ſunt de populo, vt plurimum habet communionem in domo ſua. Semel enim ſacerdote ſacrificium conſecrante & diſtribuente, meritò participare & ſuſcipere, credere oportet. Hæc illi, ex quibus apertum eſt, & domi priuatim, & communiter in ſacro conuentu Euchariſtiæ percipere ſolitos fideles. Et cùm in vtraque illa communione, vnius ſpeciei vſum fuiſſe, non poteſt negari, tum verò in domeſtica illa. Nam quæ hic Tertullianum ad vxorem ſcribere vides, panis tantum meminerunt, non calicis. Et Euſebij hiſtoria de Serapione vitā agente id planiſſimè demonſtrat, cuius verba ſunt: Erat quidam Serapion apud nos fidelis ſenex, qui licet magnam vitæ partem integrè & incorruptè tranſegiſſet, tempore tamen perſecutionis præ imbecillitate animi lapſus eſt. Hic ſæpenumero in Eccleſia denuo recipi ſupplex poſtulabat: ſed nemo quia idolis ſacrificaſſet, eius poſtulationi aliquādo auſcultauit. Quin in grauem morbum delabens, triduo deinceps mutus, & abſque ſenſu vixit.

*Non ſemper conſecrari ſolebat Euchariſtia.*

*Vnius ſpeciei vſus.*

*Euſeb. lib. 6. cap. 36.*

xit. Quarto autem die paululum relẽuatus nepotem ad se accersit, sicque alloquitur. Quousque fili me detinetis? properate obsecro, & me ocius dimittite, aliquem ex presbyteris aduoca ad me. Quæ cum dixisset, iterum fuit mutus. Percurrit ad presbyterum, puer nox iam erat. Ille fortè morbo vexatus, accedere ad eum non poterat. Sed quoniam à me mandatum dabatur, vt qui iam essent vita emigraturi, sanctorum mysteriorum (dum modo peterent, & vel maxime, si antea dum integra valetudine erant supplices petuissent) participes fierent: sicque cum pace dimissi, & bona spe confirmati ex hac Luce decederent: puero exiguam quãdam Eucharistiæ partem dedit, præcipiens vt eam madefactam in os senis infunderet, quam puer secum afferens rediit. Cui iam appropinquanti, priusque cum eo quod gestabat intraret ædes, Serapion denuo voce recuperata dixit: Venisti fili? Tametsi presbyter non potest venire, tu tamen præsta

quod,

quod tibi in mandatis dedit, & dimitte me abire. Particulam igitur puer, quam apportarat, madefactam in os senis infudit. Atque ille, simul atque eam pedetentim per fauces dimiserat, ilicò extremum spiritum edidit.

Hæc Eusebius, quæ apertissimè docent Euchariſtiam Serapioni animam dimissuro, sub specie panis tantùm traditam: quam vt deglutire posset morbo consumptus, puer eam madefecit aqua vel vino, quod domi haberet. Non quod consecratam vna cum pane, à sacerdote traditum attulerit, vt Musculana versio, imò euersio veræ narrationis, insinuare videtur. Ita enim vertit callidus ille serpens hæc verba, vt multos in errorem induxerit, qui putarent vtramq; speciem serapioni allatam, cum tantum panem puero sacerdos tradiderit: Et quod sciret hominem morbum exhaustum, ore arido panē nō posse illum facile cōsumere, vt puer madefaceret eum, & in os mo- *Musculi fraus in vertendis libris.*

rituri

rituri infunderet, præcepit. Atque nè cui mirum videatur, puero Euchariſtiam ſacram traditam more antiquæ illius Eccleſiæ non ignoret, ſacerdotes quidem Euchariſtiam ad ægrotos deferebant. Sed ſi iuſto impedimento ipſi hoc officium obire non poſſent, tradebant Diaconis, aut etiã laicis, pueris etiam vel mulierculis potius, quam ſinerent ægrotum animã ſine hoc ſacro viatico efflare. Diligenter enim cauebant, ne quis ex hac vita decederet, non percepta Euchariſtia, quam viaticum appellabant. Et propterea etiam illi, qui lapſi eſſent, & pœnitentiam agerent, etſi dum valerent, à communione & participatione Euchariſtiæ arcerentur: in extremo tamen tempore morituris liberaliter exhibebant myſteria Euchariſtiæ, nolebantque eos abſque hoc ſubſidio ex hac vita dimittere, & quaſi longius iter & difficile, & arduum, ingreſſuros, hoc ſacro cibo roborabãt. Tradebatur ergo Euchariſtia pueris etiam perferenda, vt huic Serapioni tradita erat: ſed & mulierculis interdum.

*Mos vultus perferendæ Euchariſtiæ.*

*Cura ſumendæ Euchariſtiæ.*

*Viatici vſus.*

dum. Sed cum hoc vergeret in contemptum Eucharistiæ, & pleriq; presbyteri erant, q nō iusto impedimēto, sed ignauia & negligentia officium hoc ægrotis præstare nollent, Remensis Synodus censuit, vt ipsi sacerdotes hoc officiū obirēt: cuius Synodi verba sunt. Peruenit ad notitiam nostram, quod quidam presbyteri in tantum paruipendebant diuina mysteria, vt laico vel fœminę, sacrum corpus Domini tradant deferendum infirmis, & quibus prohibetur, ne sacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquent, illis sancta sanctorum committantur. Quod quam sit horribile, quā detestabile, omnium religiosorum cogitet prudentia. Igitur interdicit per omnia Synodus, ne talis temeraria præsumptio, vlterius fiat, sed omnimodo presbyter per semetipsum infirmum communicet. Et quoniam noui isti noua omnia faciunt, negantque Eucharistiam pro ægrotis asserua ri debere, sed potius ministros accedere ad ægrotum, & apud eum Euchariſtiam cōsecrare, & conficere debere

*Deportandi ratio Eucharistiæ ad ægrotos emendata*

*Euangelicorū error.*

præcipiant. Quasi Christus, qui sacramenta in se verteret, vna cum sole occidente terras relinquat, carnemque suam vna cum sanguine suo diuino secum abducat, nec amplius ad ea redire velit. Quorum impietatem & Cyrillus Alexandrinus grauiter reprehendit, & historia de Serapione, quam referemus, apertè vel ignorantiæ vel impudentiæ conuicit. Verba Cyrilli. Alios esse audio, qui mysticam benedictionem, nihil ad sanctificationem perficere dicant, si quid ex ea fiat reliqui in alium diem. Insaniunt vero qui hæc asserunt, neque enim alteratur Christus; neque sanctum eis corpus immutatur. Sed benedictionis vis, ac facultas, & viuificans gratia perpetua in ipso existit. Coerceat itaque tua pietas huiusmodi homines; imò vero animaduertat in eos, qui tales nugas comminisci solent. Hæc Cyrillus. Vide quid Dionysij historia narrat de Serapione. Nox, inquit erat, & sacerdos à quo petebatur ægrotabat, particulam exi-

*Cyrillus in epistola ad Calosyrium.*

guam

guam quandam Eucharistiæ dedit: Non tum consecratæ, sed asseruatæ in eum vsum: Neque enim noctu commodè sacra peragere, Eucharistiam, quæ multis orationibus consecrare tur, consecrare poterat sacerdos ille æger, & præsertim in tanto periculo Serapionis animam agentis, & moram non patientis. Asseruabatur igitur Eucharistia apud sacerdotes in vsum ægrotantium, sed asseruabatur tantum in specie panis: nam calicis rarior admodum asseruatio erat, quod incorruptus tandiu esse non posset, quod factum esse in historia Serapionis ostẽdimus. Proferam alia exempla, quæ palam demonstrent alterius speciei Eucharistiæ vsum frequẽtem, tum in publica, tum in priuata, & domestica communione fuisse. Et publicæ quidem exemplum fuerit: Mulier quædam hæresi Macedonianæ temporibus Chrysostomi infecta, cuius vir eadem hæresi imbutus audierat sæpè Chrysostomum pro cõcione disserentem, quid sentiendũ esset de

*Serapioni asseruata, non tum cum peteretur conse-crata datur Eucharistia.*

*Asseruatio Eucharistiæ.*

Deo. Tandem ipsa veritate victus, hortabatur vxorem, vt ab hæresi secū desciscerct. Cum vero magis illa nobilium mulierum sermonibus, quam illius consuetudini obtemperasset, & post frequentes admonitiones vir illius nihil offecisset: Nisi, inquit, mihi in diuinis consors fueris, neque in vitæ communione posthac eris. Mulier hoc audito, & consensum pollicita, rem eam famulæ cuidam communicat, quam sibi fidam esse iudicabat, illiusque opera ad fallendum virum vtitur. Circa tempus autem mysteriorum, illa quod accepit continēs, quasi oratura procumbit. Famula astans clanculum illi dat, quod secum in manu attulerat. Hoc cum dentibus admoueretur, in lapidem congelascit. Mulier perterrefacta metuens ne qd sibi mali propter eam rem, quæ diuinitus acciderat, eueniret, ad Chrysostomum Episcopum cursu contendit, ac seipsam prodens, lapidem ostēdit, adhuc morsus vestigia habentem, & materiam incognitam, coloremq; admirabilem ostendentem, simulatque

quæ etiam cum lachrymis petens, viro suo consensuram se pollicetur. Quod si hoc etiam ipsum, inquit, Zozomenus, incredibile videtur, lapis ille testis est, qui etiamnum in thesauris Ecclesiæ Constantinopolitanæ asseruatur. Si hæc mulier abominans Catholicam communionem, debuisset de præcepto aut etiam de consuetudine vinum consecratum sumere, simulare se Catholicam non potuisset, vt se posse per panis prophani esum sperabat. Nã fuisset coacta de manu Diaconi vel sacerdotis ex calice sanguinem sugere, nec habuisset simulandi ansam de proprio calice. Quapropter ex conatu & spe fallaciæ huius mulieris satis patet, nec catholicos omnes oportuisse Eucharistiam capere sub liquida specie, etiam in ipsa Ecclesia. Publicæ communionis sub vna specie hæc sunt. Priuatæ autem præter illa Tertulliani quæ retulimus, maximè vero quæ ad vxorem scripsit, de pane sancto domini ante cibum sumendo, illustre exemplum apud Diuum Ambrosium, in oratione quam habuit de obitu fratris

*Lib. 8. cap. 5.*

*Priuata communio sub altera specie.*

tris Satyri, cuius pietatem laudans, ita scribit: Quid igitur obseruantiam eius erga Dei cultum prædicem, qui priusquam perfectioribus esset iniciatus mysterijs, in naufragio constitutus, cum ea quæ veheretur nauis scopuloso illisa vado, & vrgentibus hinc atque inde fluctibus solueretur, non mortem metuens, sed ne vacuus mysterij exiret e vita, quod iniciatos esse cognouerat, ab his diuinum illud fidelium sacramentum poposcit, non vt curiosus oculos insereret arcanis, sed vt fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium inuoluit in collo, atque ita se deiecit in mare, non requirens de nauis compage resolutam tabulā, cui supernatans iuuaretur, quoniam fidei solius arma quæsierat. Hæc ille de Satyro fratre. Vbi quis non videat nautis illis cum quibus ille nauigabat communionem Eucharistiæ in extremo periculo vitæ distributam, & ipsi Satyro etiam datam sub panis tantum specie. Cuius vsus si absque calice esse non posset, & Christi præ-

ceptö vim inferret, nequaquam à fidelibus illis concederetur. Occurrit nobis & aliud huius rei exemplum non prætermittendum, quod Ioannes Abbas Moschus author antiquissimus, in eo libro, qui Pratum spirituale inscribitur, suo tempore Seleuciæ accidisse, narrat his verbis: Cum venissemus Seleuciam, conuenimus Abbatem Theodorum Episcopum eiusdem ciuitatis. Ille autem narrauit nobis dicens: Sub sanctæ memoriæ Dionysio, huius ciuitatis Episcopo prædecessore meo, tale quiddam contigit. Vir quidam erat in hac ciuitate negociator valde religiosus & diues, sed hæreticus. Erat enim de Seueri sectatoribus. Habebat autem seruum fidelem quendam sanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ communicantem. Hic prouinciæ consuetudinem die sancto cœnæ Dominicę sumptam communionemque, inuoluit in lintheo mundissimo & in armario reposuit. Contigit autem vt post sanctum Pascha vir ille fidelis mitteretur Constantinopolim, negocij cuius-

 dam

dam gratia, dimissa per obliuionem, sancta communione in armario: dedit autem eius clauem Domino suo. Quadam vero die aperiens armarium Dominus, inuenit linthcolum, inuolutasque in eo sanctas particulas communionis. Contristatus est autem in hoc, & hæsitabat, quidnam de illis faceret, nam ex ipsis communicare nolebat, eo quod essent sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, ipse vero Seuerianæ hæresis. Et tunc quidem dimisit eas in armario vt erant, cogitans quia redituurus esset seruus, & sumpturus eas. Cũ autem venisset cœna Domini, neque seruus ille fidelis rediisset, voluit eas Dominus ipsius comburere, ne rursus & in secundum annum seruarentur. Apertoque armario, vidit omnes sanctas particulas culmos & spicas germinasse. Vnde ingenti timore cõprehensus in nouo, admirandoq; spectaculo, sumens sanctas particulas, & cum omni domo sua clamans Kyrie eleison, cucurrit ad sanctam Ecclesiam, ad sacrosanctum & venerabilem Dionysium Episcopum. Hoc autem

*vides hic nullam fieri mẽtionem de altera spẽ, quia etiam tunc vigebat consuetudo communicandi laicos sub vna specie tãtum, de qua etiam mentionem facit Cõcilium Constantiense.*

mag-

magnum, & terribile, & omnem rationem, omnemque mentem, & omnem cogitationem excedens miraculum, non vnus, aut duo, aut tres, vel pauci aliqui viderunt, sed omnis Ecclesia, ciuesque & rustici, indigenæ & hospites, quique continentem ambulant, & qui mare nauigant, viri & mulieres, senes & impuberes, iuuenes & seniores, Domini & serui, diuites & pauperes, principes & subditi, sapientes & simplices, virgines & monachi, viduæ ac nuptæ, qui in potestate sunt constituti, & qui illorum reguntur imperio. Et illi quidem clamabãt Kyrieeleison, cæteri autem aliter Deum laudabant, omnes vero pariter Deo gratias agebant, pro ineffabilibus eius mirabilibus. Plurimi igitur ex hoc miraculo credentes, adiecti sunt sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ. Hæc Abbas quæ disertè docent, sub panis tantum specie seruo huic domi asseruandã pro suo vsu Eucharistiam datam, vides panem ab hæretico hero repertum. Et quamuis hæreticus esset, cremari tamen vt cogita-

*Qui hereticus est non est communionis sanctæ Catholicæ Ecclesiæ.*

bat non ausum, quod sanctas esse sciret, nihil vini cum pane repertum, vna species domum ferenda, & ad incertos casus asseruanda dabatur. Neque enim propter solos ægrotos asseruari solebat, sed etiam propter eos, qui aut nauigarent, aut peregre proficiscerentur, aut in solitudinem persecutione in fideles grassante, fugerent, diutius abfuturi à cœtu illo fidelium & communione publica. Quibus in casibus calicis vsus sine periculo dari non poterat, sed ne commode asseruari, cum illi secum sacramenta ea portarent. Referuntur & alia ad hoc confirmandum exempla, vt Simeonis & puellæ cuiusdam, quæ sanctum panem deglutire non poterat, Diabolo guttur eius obsidente, de qua Prosper ita narrat: Puella, inquit, multis mensibus obsidebatur à dæmone: tandem coram altari prostrata est. Peracto sacrificio cum eadem inter cæteras puellas breuem particulam corporis Domini tinctam à sacerdote perciperet, semihora mandens traij-

*Cur asseruatur Eucharistia.*

*Cur calix non asseruaretur.*

*Prosper quarta parte prædictionum, c. 6.*

cere

cere non valuit. Manu igitur faciem eius sustentante sacerdote, ne tan- ctum proijceret, à quodam Diacono suggestum est, vt calicem salutarem gutturi eius pontifex applicaret. Quod vt factum est, statim locum illum, quem Diabolus obsederat, saluatoris imperio reliquit, Sacramentum quod ore gestabat, cum laude redemptoris transglutisse puella clamauit. De Simeone verò Stilcide, Theodoretus Cyri Episcopus in Philotheo, siue in historia sanctorum patrum, rem aliam gestam narrat. Nam cum is quadraginta dierum sibi indixisset ieiunium, ac rogasset Bassum, qui ea tempestate oppidorum presbyteris præfectus multa circuibat, vt fores domunculæ suæ cœmentis obstrueret. Cui obtemperasset Bassus, & post quadraginta dies rediisset, dirutis foribus Simeonem exanimẽ atq; mutum, & immobilem inuenit. Quare accepta spongia, labra eius, primum madefecit, & mox diuinorum mysteriorũ Symbola imposuit: quibus ille

*Simeonis historia.*

*Claudius de Sainctes.*

refectus surrexit, ac cibi aliquantulũ sumpsit. Illicò aduersarij symbola mysteriorum in plurali numero dici, & vtramq; speciem intelligi clamabãt: Quasi non sæpe legatur apud magnũ Dionysium, atque alios, hoc genus dicendi etiam cum de alterutra specie tractetur. Certum est, in solitudinibus vnam tantum speciem haberi solitam. Quæ quoniam diutius asseruata, durior fieret, nec ab languidis ore arido deglutiri posset, aut aqua aut vino madefiebat, & macerabatur, vt facilius consumeretur: quod Serapionis, de quo diximus, exemplum planè docet, quanquam non solum ægrotis, tinctus panis daretur, verumetiam & ipsi populo. Eamque communicandi consuetudinem fuisse vsitatam in Ecclesijs, declarat vetustissimum sub Guntrano Rege Matisconense Concilium, quod sic statuit: Sacramenta altaris, nonnisi à ieiunis hominibus celebrentur. Quæcunque reliquiæ sacrificiorum, post peractam Missam in sacrario superfederint, quarta vel sexta feria innocentes ab illo, cuius inter est,

*Vide Basiliũ Magnum in epistola ad Cæsariam Patritiam.*

*Reliquiæ sacramenti quomodo consumebantur.*

est, ad Ecclesiam adducantur, & in dicto eis ieiunio, easdem reliquias conspersas vino, percipiant. Quem locũ interpretem esse volunt canonis 76. Concilij quarti Carthaginen. de infusione Eucharistiæ in os infirmi. Aiunt enim non calicis sacri infusionem intelligi debere, sed panis liquefacti in vino vel aqua infusionem præcipi ab illo Concilio. Quod species panis sola pro ægrotis asseruaretur absque calice, verba sunt canonis: Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dũ ad eum inuitatus sacerdos fuerit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in Phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam: & si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori Eucharistia. Hæc canon. Quæ quidam non de pane macerato accipi volunt, sed potius de sanguine Christi, & calice sacro, quem infirmis pani consumendo imparibus solum in os infundi, præcipere canonem volunt. Quæ interpretatio, nostram quam agimus par-

*Neminem sine Eucharistia veteres dimittere voluisse.*

*Aduersariorũ interpretatio canonis vsum alterius speciei confirmat.*

partem confirmat, vsumque alterius speciei Eucharistiæ receptum, & à Synodo illa approbatum, docet. Nam si non liceret alteram ab altera speciem seiungere; quomodo Carthaginense illud Concilium, solum calicem morbo oppressis in os infundi pcipiat; & solius sanguinis Christi, viaticum illis permittat, si hoc impium sit; & cõtra institutum Christi?

Nunc quoniam apertè alterius speciei Eucharistiæ vsum; Christi Domini instituto; exemplis non paucis ostendimus: ad cætera argumenta, quibus non obscurè res ea tota probatur; descendemus; si primum, cur institutum illud cuique in manus sacram Eucharistiam dandi & domum deferendi, ac priuatim & asseruandi, & singulis diebus ante omnem cibum communicandi, sublatum fuerit, monstrauerimus.

*Cur in manus Eucharistia non datur, & nõ asseruetur domi.*

*Cur Eucharistia domum deferri, & in manus dari communicātibus desijt, causa explicantur: & apud Græcos vsum alterius speciei tantum frequentem fuisse, Græcorum ipsorum testimonio, & tacita confessione probatum.*

CAP. V.

Vt igitur Christus acceptū panem in suas venerabiles & sanctas manus, benedixit, ac fractū in man' discipulis dedit; ita presbyteri ac Diaconi benedictum panē frangebant, ac singulis fidelibus partes in manus tradebant, qui aut in cœtu illo fidelium manducarent, aut secum domum deferrent, & ad varios casus asseruarent. Nam ex illo Apostolorum instituto, & consuetudine conueniendi per domos quotidie, & frangendi panem, atque communicandi extra templum, cum persecutiones impedirent quotidianas in vnis ędibus Christianorum conuocationes, prouisum fuit, vt de cœtu publico quoties haberi poterat quisq; Eu- *Cur olim domi communicabatur.*

cha-

Euchariſtiam domum aſportaret, & quotidie ante omnem cibum priuatim communicaret, atque ad repentinos caſus, vt diximus, haberet ſacrũ illum panem, quaſi neceſſarium viaticum, ſine quo piaculum grande putabant de vita diſcedere: quemadmodum de illo Nicæna prima Synodus Canone 12. loquitur. Quam quidem conſuetudinem veram fuiſſe, illa quæ ex Tertulliano retulimus demõſtrãt, quæ repetere operæpretium non videtur. At cum quidam Euchariſtiam, nõ in eum vſum, quem Chriſtus inſtituit, peterent, nec cum ea dignitate quam Eccleſia exigeret, ſeruarent, neq; cum ea religione, quæ huic ſacramento deberetur, ſumerent, licentiaque illa ſumẽdi ſacramẽti Euchariſtiæ in abuſum euaſiſſet, & pleriq; cũ poſt rẽ vxoriã in Eccleſiã ingredi nõ licere, & religionem eſſe putarent, nihiloſecius tamen corpus Chriſti domum allatum, ſatis impure ac ſine ſui probatione ſumerent, & quod in Eccleſia non liceret, domi licere falſo arbitrarentur. Quaſi alius domi Chriſtus, alius in Eccleſia

*De corona militis, de oratione ad vxorẽ.*

*Abuſus Euchariſtiæ.*

*Caſtitatem in orantibus in templo exigi.*

*Hier. in Apologia ad Pammachium.*

*Si autem marito non licet templum poſt*

clesia esset. Alij ad maleficia venefi- casque artes, eo sacramento abuterẽtur: visum est patribus sanctis & Ecclesiæ, huic morbo occurrere, eiusq; modi institutum & consuetudinem sacramenti in manus cuique dandi, asseruandi, & priuatim communicandi, inhibere. Et propterea Concilia Cæsaraugustanum & Toletanum primum, Anathema interminatur ei, qui Eucharistiam susceptam non consumpserit in ipsa Ecclesia. Et ita priuata illa communicatio sublata est. Publicè omnes in cœtu Ecclesiæ communicare iussi, & presbytero spectante cõsumere acceptam Eucharistiam. Sed neque hic fraus abfuit. Nam plerique alienum panem, pro eo quem de manu sacerdotis accepissent, supponebant & manducabant, Eucharistia occultatam, & domum deportatam in suos illos vetitos & impios abusus, conuertebant. Quod ita fuisse, historia quam retulimus de muliere illa Macedoniana hæresi infecta, planè testatur, cuius panis quem supposuerat, in lapidem versus. Cui fraudi ne dein-

*rem vxoriam ingredi, qui fronte sacerdotes post rẽ meretriciam ad altare accedunt.*

ceps occasio vlla daretur, desijt in manus Eucharistia dari, in os cuique imponi iussa, vt spectante presbytero absumeretur. Sed neq; hic Satan quieuit: Reperti sunt, qui partem Eucharistiæ in ore detinerent, ac digressi ad impios vsus verterent. Vnde institutum est, apud Latinos præsertim, vt & panis eiusmodi consecraretur, qui statim ori impositus liquesceret, nec diu detineri posset. Et post sumptam panis Eucharistiam, aut vinum aut aquam communicantes sumerent, vt panis ille sacer liquore illo dilutus facilius deglutiretur. Cuius instituti authorem diuum Chrysostomum fuisse scribunt. Nam diuus Chrysostomus vt fraudibus huiusmodi occurreret, suasit singulis, vt mox à communione nonnihil aquæ aut vini, aut etiam pastilli delibarent, ne vna cum saliua, aut pituita, vel tantillum expuerēt ex præsumpta Eucharistia. Ita reuerentiā docens ac piūm timorem non inuitos: quia verò solus non ascitis alijs Episcopis, auderet priuatim id consulere, accusarunt ipsum duo Diaconi, quasi

*Fraus in sacramento ad missa.* *Latinæ Ecclesiæ institutū.* *In vita Chrysostomi.* *Sollicitudo circa sacramentum.*

quaſi nō ieiunis ita Euchariſtiam porrigeret, vt ipſemet inter capita accuſationis ſuæ Epiſtola ad Cyriacum recenſet. Prætexebat quidem reuerentiam Chryſoſtomus, ſed fortaſſe cauebat, ne quis ore ſuſceptam ſpeciem panis ſtuderet aliò efferre, vti conabatur illa de Macedoniana hæreſi mulier. Huic malo facile occurriſſet ſine alio additamento, ſi calix ſtatim poſt ſpeciem panis fuiſſet de neceſſitate propinandus: Dato enim calice panis ille ſanctus diſſolueretur, nec locum haberet Chryſoſtomi conſilium de delibando vino vel aqua poſt ſumptum ſanctum panem. Nam quod vinum illud delibatum vel aqua quod Chryſoſtomus ſuaſit præſtaret, id calix Chriſti ſumptus efficeret. Quod ecquidē nō leue argumentum eſt, communionis ſub panis ſpecie tantum tempore Chryſoſtomi, & eam rationem non ſolum apud alias nationes, ſed etiam apud Gręcos communicādi, vſitatam & receptam fuiſſe, contra quam noſtri Euangelici con-

*Cōſilium prudens Chryſoſtomi.*

*Sub Chryſoſtomo vſus vnius ſpeciei.*

*Euangelici authoritate Græcorũ sua figmenta vestiunt.*

tendunt. Qui vt suos errores vendibiliores reddant, ad Græcos plerunque confugiunt, orientemque Ecclesiam appellant, quasi non idem sol occidẽti luceat, ac non primum orientem oram, quam hanc nostram deserat. Fecerant hoc olim Pelagiani, qui damnati à Romanis, in Græciam se cum errore suo contulerant, patronos erroris sui quæsituri, sed nihil egerunt. Quos occidens sol auersatos, nec oriens aspicere potuit, præter paucos iisdem tenebris, in quibus Pelagiani versabantur, excæcatos. Idem sensus Ecclesiæ orientis & occidentis, in hoc dogmate fuit eadem communicandi ratio: Vbique erat vsus & alterius & vtriusque speciei Eucharistiæ: posterius à nobis Græci discesserunt, & vt nos alteram speciem populariter, ita illi vtramque quasi perpetuo edicto amplexi sunt, ne nobiscum sentire videãtur, Romanamque Ecclesiam principem agnoscerent. Quanquam autem Romanis infesti, ob eam quæ inter se & Latinos, vt illi dicere solent, controuersiam, facti essẽt, adeò vt altaria in

*Augustinus contra Iulianum Pelagianum.*

*Consensus Ecclesiæ de vsu Eucharistiæ.*

*Cur Græci vtraque specie vtantur.*

in quibus Latini rem diuinam facerent, tanquam prophanata abluerēt, & minima quæque quæ non probarent, acerbius insectarentur. Nihil tamen latinis eo nomine obiecerunt, neque popularem communicationē sub panis sola specie apud Latinos receptam, vel vno vnquam verbo reprehenderunt, non intermissuri tantam reprehendendi, & occasionem & materiam, si contra institutum Christi & Apostolorum traditionem, populo calicis vsum apud Latinos ademptū fuisse, iudicarent, maximè verò cum vt de cæteris rebus, tum verò de Sacramento Eucharistiæ in Synodis, Lateranensi, Constantiensi, & Florentina disputatum fuisset. In quibus Synodis & interfuisse Græcos & à Latinis defectionis, à ritu & antiquitate orientalis Ecclesię, de reuerēter asseruanda & custodienda vna specie, & sub illa communicandi populum, publicè reprehensi essent. Quam reprehensionem illi si posse se refellere putarent, & non vera sibi à Latinis obijci viderent, nūquam tacuissent, flammam potius

*Odium Græcorum contra Latinos.*

*Græci inimici Ecclesiæ Romanæ nunquam tamen reprehenderunt eam calicis adempti populo.*

*Græci quod sub vna specie communicare nollēt, in Concilijs reprehensi.*

ore continuissent, quam errorem aliquem Latinorum reticuissent, cum tanto odio in eos flagrarent. Cur igitur reprehensi reticent? cur vicissim Romanis, eo nomine dicas illas suas grandes & odio plenas non scribunt? quod scilicet scirent semper licitam & liberam & vsitatam apud Græcos maiores suos cōmunionem sub vna specie fuisse. Et quanquam sub vtraq; specie frequentior illis fuisset, tamen alterius vsum non reprehenderunt, propterea, quòd vtroque modo Græcos consueuisse communicare constaret, neque id nisi impudenter agere vellēt negari posse, iudicarent. Reprehensos autem à Latinis eo nomine esse ex Leonis noni ad Michaëlem Imperatorem scriptis constat. Ita enim his Pontifex scribit: Hierosolymitani si quid ex sancta & venerablili Eucharistia in Hierosolymitanis Ecclesijs superfuerit, nec incendunt nec in foueam mittunt, sed in pixidem mundam recondunt, & sequenti die communicant ex ea populum, quia quotidie communicatur ibi, eò quod conueniunt

*Cur Græci reprehensi taceant.*

*Reprehensió Græcorum.*

*Hierosolymis quotidie communicant.*

niunt illuc ex diuersis prouincijs Christiani, qui propter fidem & maximū amorem filij Dei, communicari ibidē desiderant. An verò sanguis in pixide recondebatur, & non sola Eucharistia panis? Audis reprehensionem Grecorum: quę quod à Romano pontifice quem illi odissent profecta, molesta illis esset, multò molestior fuisset, si quid falsi ab eo in se diceretur, si non meritò reprehenderentur. Sed quoniam veris se vrgeri viderent, tacebant, ac dissimulabant, ne apertè veritati repugnare viderentur. *In pixide panis tantum nō vinum reponitur.*

*Synodorum & Conciliorum Authoritate vsus Eucharistiæ sub altera specie demonstratur.*

*CAP. VI.*



IAM verò videamus, quid Concilia de vsu sub altera specie constituerint, quid senserint ac decreuerint. Neque enim credibile est, Concilia illa diuinitus inspirata, ali- *Conciliorum de vsu Eucharistiæ constitutio.*

quid contra Christi præceptum & instituta necessariò seruanda, ausa esse moliri: concilia enim Spiritu sancto regi inconfesso est. Placuisse, dicunt Apostoli in Concilio Hierosolymita-
*Act. 15.* no, ad quæstionem circūcisionis deci dendam congregati, Spiritu sancto & nobis, nihil vobis grauius imponere, & quæ sequuntur, Spiritui sancto placuisse aiunt, deinde sibi, per quem Spiritus sanctus loquebatur? vbi volun-
*Doctrina Concilij doctrina est spiritus sancti.* tatem suam & consilium reliquit? in pectore Apostolorum: Per eos loquebatur spiritus in eos illapsus, quæ voluntas Dei patris & filij sui Iesu Christi de circuncisione gentilium fuerit, docuit. Ille est conciliorum magister & gubernator. Quicquid in sacro cōcilio fit, docente Spiritu sancto fieri, negari non potest. Audi igitur quid
*Authoritas concilij Ephesini.* Concilium Ephesinum primū (quod vnum est inter quatuor illa prima, quibus non minor quàm Euangelio authoritas, non solum à sanctis illis, & veteribus patribus, sed etiam ab ipso omnium errorum, & omnis hæresis patre, Martino Luthero attribui-

tur)de Eucharistiæ vsu constituerit:ac inde vtrumne necessariò Christus cõmunionem Eucharistiæ, sub vtraque specie, hoc est, panis & vini constituerit sumendam, collige. Si enim nefas contra Christi institutum sciungi species illas, quomodo Synodus illa cui tãta authoritas tribuatur, ausa fuerit decernere sub vna specie tantum Eucharistiam populo dari. Nam cum Nestorius putaret & doceret, carnem Christi sine sanguine pani, & sanguinem absque carne calici inesse, Ephesina Synodus, cum cæteris eius erroribus, eum quoque errorem damnauit, carnem Christi sub specie panis vna cum sanguine, & sanguinem in calice, vna cum carne esse docuit. Nec carnem absque sanguine, nec sanguinem sine carne(quod falsò Nestorius docebat,)credi permisit. Sed vbi caro Christi viua esset, ibi & sanguinem esse viuum, ac vicissim à sanguine eius, nulla ratione carnem abesse conclusit, & q carnem solam absque calice sumeret, integrum Christum sumere, vna cum carne, sanguinem eius potare eum,

*Occasio constitutionis Ephesinæ communicandi sub altera specie.*

*Hæresis Nestoriana.*

*Christus indiuisus est.* decreuit, cum Christus sit indiuisus. Decreuit itaq; ea Synodus Spiritu sancto veritatem se docente, & sanguinē viuum in carnē illa, q̄ sub specie panis visibilis à fidelibus accipitur, esse, & in sanguine carnem: & qui alterutram speciem sumeret, eum vtramq; sumere. Ad quod stabiliendum, alterius speciei Eucharistiæ vsum intermitti voluit, sub altera tantum dari populo præcepit. *Cur altera tātum species dari decreta.* Nec minus tamen Christi instituto satisfieri censuit, quam si vtraque species sumeretur: nec minus cū manducare carnem Christi, & bibere sanguinem, qui alteram speciem sumeret, quam qui vtramq; sumpsisset, docuit. *In altera spē totus Christus sumitur.* Siue igitur vtramque siue alteram speciem Eucharistiæ sumas, totū Christum sumis: In carne sanguinem bibis, in sanguine carnem Christi viuam manducas. Hanc sententiam Synodus Ephesina probauit, hanc Florentinum Concilium præsentibus Græcis, & multis de rebus cum Latinis decertantibus, & de multis alijs rebus Romanæ Ecclesię aduersantibus, confirmauit, Græcis ipsis contra hoc de-

decretum nihil dicentibus. Quodſi *Quitaceã*
ſacramenti Euchariſtiæ diuiſio inſti- *conſentit.*
tuto Chriſti aduerſa eſſet, quo ſpiritu
Epheſina illa Synodus, cui tantum tri-
buitur, diuidere eam auſa fuiſſet?
Quomodo refellens Neſtorij errorẽ,
ſub altera tãtum ſpecie Euchariſtiam
publicè dari præcepiſſet? Non docet
Spiritus ſanctus aduerſa Chriſto, vo-
luntatem eius aperit. Intermiſſam aũt
alteram ſpeciem, ad refellendum iſtũ
errorem Neſtorij, magni viri ſcripſe-
runt, vt Caietanus, D. Hoſius, Bartho
lomæus Latomus, Ioannes Heſſel, & *Confeſsio ad-*
inter Eccleſiæ hoſtes, (quis in locis com *uerſariorum*
munibus, ita ſe rẽ habere Vrbanus Re *magnum eſt*
gius cõfitetur. Sed eſt antè hos Gabri *argumentũ.*
el Biel nõ adeò recens Author, cuius
verba ſunt: Alia cauſa ceſſatiõis ab hu- *Gabriel Biel.*
iuſcemodi ritu cõmunicãdi ſub vtraq;
ſpẽ fuit, vt tollerẽtur errores, q ex com
munione ſub vtraq; ſpẽ orti fuerãt, &
oriri poterũt, credere poterat cõis po-
pulus ex tali communione, Chriſtum
non eſſe totum, verum & perfectũ ſub
vna ſpecie, quantũ ſub duabus, vt hoc
multi hæreticorũ de facto aſtruxerũt.
Ne-

Nestorius enim sub specie panis, tantum corpus Christi esse dogmatisabat sine sanguine, & sub specie vini, sanguinem tantum sine corpore, pro eo, quod in parasceue corpus fuit separatum à sanguine. Ambigitur à quo ista de Nestorio, magni illi viri didicerint, cum nec Acta Ephesini Concilij, nec Cyrillus ipsum de istis insimulent. Attamen fortassè antiqui scriptores pleniora Acta Concilij illius habuerunt, aut Authores habuerunt vetustiores, qui id Nestorio imputarent. Procul dubio quæ de Eucharistia contra Nestorium ab Ephesina Synodo confessio apertè docet, à Nestorio negatam fuisse naturarum concomitantiam sub alterutra specie Eucharistiæ: Et Cyrillus contra eum aliquando defendit, totum & integrum Christum, minima parte Eucharistiæ contineri. Quod vt contra eundem ostenderetur, non est incredibile communionem vnius speciei fuisse decretam.

*Ratio hæreticorum inepta, nam sanguis ille in cruce effusus, vna cum corpore surrexit, & ad carnem rediit. Claud. de Saintes.*

*In pane carnem Christi esse primũ et principalẽ ex cõsequenti et cõcomitantia quadam sanguinem: in calicẽ vero primum & principaliter sanguinem, & concomitãtia carnem intelligimus, vide Thomam in sua sententia.*

Pe-

*Peregrina communio Manichaeorum inter Catholicos latitātium fraus, sacerdotes extra altare cum populo communicantes, & die Parasceues sacrificium, vſum Euchariſtiæ ſub altera ſpecie, ſatis apertè demonſtrant.*

## CAP. VII.

IAM illa quæ de peregrina communione traduntur, non leue argumentum ſuppeditabunt alterius ſpeciei in Eccleſia illa veteri, & Apoſtolorum temporibus proximiore vſum probatum fuiſſe, cum aliunde, tum ex his, quæ Leonem nonum ad Michaelem imperatorem ſcripſiſſe diximus. Quoniam Hieroſolymam quotidie peregrini, religionis & orationis cauſa conueniebant, cauſa eorum Euchariſtia ſemper parata, cuſtodiebatur, vt omnibus præſto eſſet. Nec verò ad limina Apoſtolorum, etiam precationis & negociorum Eccleſiaſticorum gratia minor vnquam frequētia Chriſtianorum quotidie confluxit, quàm Hieroſolymam. Quin igitur ibi quoque haberetur ſemper in promptu Eu-

*De peregrina communione*

*Pro peregrinis Euchariſtia ſemper parata erat.*

Euchariſtia, veriſimile non eſt: imò eá erat pietas primorum pontificum, vt non prius vllum Antiſtitem, aut alicuius nominis Chriſtianum ſinerent ingredi ciuitatem, aut in ſuum conſpectum & colloquium admitterēt, quā miſſa obuiam Euchariſtiá; vt ex eius communione, de fide & religione aduenientis certiores redderētur; quod Irenæus in Epiſtola ad Victorem ita fieri ſolere, teſtatur his verbis: Presbyteri iſti, qui te præceſſerunt, fratribus aduenientibus, qui ſuo more ieiunium & Paſcha obſeruabant, Euchariſtiam miſerunt: ipſam vero quæ ad vſum peregrinorum conderetur, in Hieroſolymitatana Eccleſia, didicimus, vna ſpecie fuiſſe contentam. Ob id fortaſſe antiqui canones appellant peregrinam communionem, quæ clericis in pœnam tradebatur. Quam Hieronymus ad Euagrium, videtur omnium clariſſimè declarare, cū inquit: Si forte vſus exegerit, vt venientes ad Eccleſiam ſacerdotes eiſdem horis, quibus aut oblatio parata non ſit, aut non poſſit offerri, non dbere Epiſcopum

*Mores recipiendi Chriſtianos peregrinos.*

*Euſeb. lib. 5. cap. 24.*

*Peregrina cō. munio.*

*Clerici peccātes ad peregrinam communionem remittebantur.*

*Hier. de ſeptē ordinibus.*

re-

repudiare Euchariſtiam presbyterorum, ſi ponatur in altari. Vbi Hieronymus duplicem modum communicãdi peregrinos perſtringit, aut ex aſſeruata Euchariſtia, & allata extra tempus miſſæ, & congregatæ Eccleſiæ, quacunque hora peregrini accederẽt, aut ex recenter cõſecrata, ſi commoda hora veniſſent, de qua Ambroſius loquitur cum ait: Omni hebdomada offerendum eſt, etiam ſi non quotidiè peregrinis, incolis tamen vel bis in hebdomada. Et ea certè eſt peregrina cõmunio, qua clerici mulctabantur: quæ etiam diſtinguitur à laica. Hæc enim erat quando clerici mouebantur ſuo gradu, aut ſui miniſterij functione, & redigebantur in ordinem populi, vt promiſcuè venirẽt cum laicis ad communionem ſiue vnius, ſiue vtriuſq; ſpeciei, quæ miniſtraretur recens conſecrata, in ipſa oblatione & publica Eccleſiæ congregatione: Peregrina verò cõmunio, grauior erat multa, cum nedum ſuſpenderentur à ſacro miniſterio, ſed arcerentur à publicis Eccleſiæ ſacris, extraque repo-

*Duplex modò peregrinorũ communicandorum.*

*Euſ. lib. 6. cap. 43.*

*Laica communio.*

*Cyprianus epiſtola ad Antonianum.*

*Epi. ad Hiſp.*

*Epiſt. ad Stepha. Papam.*

*Tolet. 1. cap. 4. & Sardicen. Cap. 1.*

reposita pro peregrinis Eucharistia donabantur. Sic enim Agatensis Synodus paulo post Ephesinum concilium sub Celestino primo Papa statuit. Cōtumaces verò Clerici, prout dignitatis ordo permiserit, ab Episcopis corrigantur, & si qui prioris gradus elati superbia, communionem fortasse cōtempserint, aut etiam frequentare Ecclesiam, vel officium suum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur, ita vt cum eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricula, gradumque suum, dignitatemque suscipiant. Item, Si quis clericus furtum Ecclesiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur. Proculdubio, quia iam communionem publicam, & congregationem contempserant, furtoque totam Ecclesiam offenderant, iure repellebantur ab Ecclesiæ cætu, & Eucharistiæ publicæ communione, atq; ad extraneam & peregrinam, quæ ex asseruata Eucharistia conferebatur, sub vnica specie etiam Episcopis, & quibuscunque extra celebrationem missarum, (ait Hieronymus) aduenientibus

*Quæ sit laica communio et quæ peregrina.*

*Agathen. Can. 1.*

*Can. 4.*

tibus

tibus dabatur. Nec quicquam intere-
rat, dareturne intra ipſam Eccleſiam,
an extra, ac vix certè leges vnquam, in
occidentalibus Eccleſijs, ſpeciem ſan-
guinis reconditam fuiſſe, aut reſerua-
tam. Apud Orientales, etſi ea aſſeruan
di ratio ſæpe reperitur vtriuſque ſpe-
ciei fuiſſe, tamen ſub ſpecie panis tan-
tum peregrinis dabatur, quod argu-
mento eſt quoq; apud Latinos, com
munionem illam peregrinam, de qua
Irenæus loquitur, ſub ſpecie panis tan
tum dari ſolitam. Sed & illud non le
ue argumẽtum eſt, alterius ſpeciei Eu
chariſtiæ vſum non minus quam vtri
uſque in Eccleſia antiqua probatum
& receptum fuiſſe, quod die paſſionis
Chriſti & Paraſceues, & quæ eam con
ſequitur ſabbati die, etiam ipſi ſacer
dotes, alterã ſpẽ tantum ſumerent. Nã
traditio Eccleſiæ habet, inquit Inno
centius, eo die ſacramenta non cele
brari, ſiue conſecrari. Neque fit conſe
cratio rei ſacræ contactu, ſed verbis
Domini. Sabbato Paſchæ itidem age
bant, & ſub noctem reſurrectionis
dominicæ, inchoabatur miſſa, quam

*Occidentales Eccleſiæ, ſub ſpecie panis tantum Euchariſtiam aſſeruabant.*

*Græci tantum ſub ſpecie panis peregrinis dabant Euchariſtiam.*

*Die Paraſceues vna ſpecies ſumitur.*

*In epiſtola ad Decentium Epiſcopum Eugubinum, qui præfuit in Epiſcopatu tempore Au-*

*Contactu putabant quidã carne Chriſti vino impoſita vinum verti*

*in sanguinem & consecrari contactu quod Innocentius reprehendit.* hoc tempore anticipamus. Atque ita dubium esse non potest, quin Ecclesia Latina ab ipsis Apostolis longa traditione sub vna specie publicè communicauerit, quod non solū populus sed etiam ipsi sacerdotes diē Parasceues, & Sabbato Sancto facerēt: qui mos etiam hodie in die Parasceues obseruatur. *Sacerdos vnā speciem sumit die parasceues.* Qua die quoniā Eucharistia nō cōsecratur, sacerdos ad altare stans, sub specie panis tantum asseruatam, ex pridiana consecratione, Eucharistiam sūmit. Quod si nefas esset alteram speciē absq; altera sumi, Ecclesia Catholica non probaret, nec permitteret id fieri. *Manichæorū fraus vsum alterius speciei indicat.* Sed neq; fraus Manichæorū, furtiuaq; inter Catholicos communio, parum argumenti nobis ad vsum Sacramēti Eucharistiæ sub specie panis receptū, in Ecclesia Catholica fuisse, affert. Cū enim Manichæi à vino abhorrerent, et tanq̄ venenū vitari debere, docerent: viderēt aūt Catholicis liberum esse vsum, siue sub altera vellent, siue sub vtraq; specie, eam sumere, simulātes se esse Catholicos, cōmiscuerunt sesi delibus, ac Eucharistiam cum eis vt cæte

ri Catholici sub panis specie sumebāt: Etsi enim hęretici essent, Catholicorū tamen Sacramenta, conscientia eorū, quod verum esset, dictante, appetebāt participesq; eorum esse cupiebant, quā & nostris temporibus videmus. Nam Euangelici nostri, etsi ipsi suo more, ministros sibi constituant, tamen hoc sedulo agunt, vt sacerdotes legittimè in Ecclesia Catholica cōsecratos Apostatas efficiant, & ad se traducāt, vt ex eorū manibus sacramēta percipiant, plus his, quam à se consecratis tribuentes, ob legittimè acceptum à pontificibus ordinem: Conscientia enim quā dissimulant vrget etiam errātes, ac errorem proseminantes, & vnde veritas sacramentorum petenda sit, dictat. Et quidem mira istorum est, vel stultitia, vel malitia, summum pontificem execrantur, Antichristum vocant, nos idololatras esse clamant, dogmata nostra exterminant, templa prophanāt, ac idolorum sedes esse clamant: viuos eò accedere prohibent, tamen nōnisi in cœmiterijs & templis à Pōtificibus Catholicis cōsecratis, summo studio

*Hæreticos cōscientia remordet.*

*Euangelici legitimè consecratos sacerdotes suis præponunt.*

*Reprehensio Euangelicorū*

tui ſepeliri contendunt:& quos viuos impietatis damnarent, inter eos mortui ſepeliri cupiunt, non obſcuri indicantes, quæ conſcientia eorum ſit, & quam Eccleſiam meliorem eſſe iudicent: & quaſi morituri, ſeipſos falſæ doctrinæ condemnantes, ſuámq; Eccleſiam erroris damnantes. Sed ad Manichæos vnde digreſſi ſumus redeamus. Manichæi igitur deteſtabantur vinum, ob idque à calice ſumendo Eucharistiam abſtinebant. Cum verò viderent vt dixi, liberam eſſe communionem apud Catholicos, ſiue quis vtramque ſpeciem eius, ſiue alteram tantum ſumere vellet, diſſimulata ſua hæreſi, ſe Catholicos aſſimulantes, in cœtum fidelium ingreſſi, panem ſacrum ſumebant, ac inter eos Catholicos, qui ad calicem ſumpto ſacro pane, non accederent, altera illa ſpecie panis contenti latebant, ſeque eos Catholicos, qui in vna ea ſpecie acquieſcerent, eſſe ſimulabant. Quod ita fuiſſe, Leonis hæc quæ adſcribam verba, docent. Cum Manichæi ob tegẽdam infidelitatem ſuam, noſtris audeant in-

*Augu. ſer. 4. de Quadrag.*

*Manichæorũ fraus.*

*De hæreſi Manichæorũ propter quam abſtinerent ab vtraq; ſpecie.*

intereſſe myſterijs, ita in ſacramentorum communione ſe temperant, vt interdum tutius lateant, ore indigno Chriſti corpus accipiunt, ſanguinem autem redemptionis noſtræ, haurire omnino declinant. Quod ideo volumus veſtram ſcire ſanctitatem, vt nobis huiuſmodi homines, & his manifeſtentur indicijs, & quorum deprehenſa fuerit ſacrilega ſimulatio, notati, & proditi à ſanctorum ſocietate, ſacerdotali authoritate pellantur. Si fuiſſet tempore Leonis in vſu, vt omnes fideles veluti ex Chriſti præcepto, de calice oporteret communicare, quomodo Manichæi potuiſſent tutius latere in communione corpus Chriſti ſub ſpecie panis? cum omnium oculos in ſe vertiſſent ob neglectum calicem? Sed quia moris erat, vt Catholici nunc ſumerent calicem, nunc non ſumerent, etiam ſumpto corpore, ideò potuerunt ſe Catholicos ſimulare Manichæi, ſumpto ſolo ſacro pane. Quæ fraus Manichæorum cum deprehenſa eſſet, ne deinceps quiſquam ex eis latere inter fideles poſſet, iuſſi ſunt Ca-

*Cur iuſsi Catholici vtrãque ſpeciem ſumere.*

tholici vtramque ſpeciem ſumere: vt, ſi quis calicem ſubterfugeret, ſe Manichæum eſſe proderet, ac Eccleſia exturbaretur. Quòd ſi nunquam licuiſſet panem ſolum ſacrum, ſine calicis vſu ſumere, nulla occaſio data fuiſſet Manichæorum furto: ſtatim enim ob fugam calicis deprehenſi fuiſſent. Sed quod Catholicis liceret à c[illegible]e abſtinere, occaſionem eam arr[illegible]uerunt, panem ſacrum ſumebant, ac in eorum parte, qui ad calicem non venirent, ſe continebant, vt non deteſtari ex ſua hæreſi calicis vſum viderentur, ſed pio animo cùm fidelibus, ab eo ſe abſtinere, & credere, tantum eſſe eius ſacramenti in altera ſpecie, quantum in vtraque, & in vna parte totum Chriſtum ſumi. Neque illi audiendi ſunt, qui ex his, quæ retulimus verbis Leonis, Catholicam Eccleſiam criminantur, quod contra Leonis ipſius conſtitutionem, altera ſpecie populum defraudet. Nam quia ille dicit: Ore indigno corpus Chriſti accipiunt, ſanguinem autem redemptionis noſtræ haurire omnino declinant, grauiter

*Falſa reprehenſio aduerſariorum ex verbis Leonis quæ illi torquent ad ſuũ abuſum.*

nos

nos reprehendunt, tanquam ille non Manichæorum calicis detestationem reprehendat, verum nostram abstinentiam ab eius vsu contra institutum Ecclesiæ. Neque enim eos Leo vult notari, & prodi, si quando sanguinem Domini, sumpto corpore non hauriant, sed sicut ipse dicit, si sanguinem redemptionis nostræ omninò haurire declinarent. Aliud est enim quandoque prætermittere in communione speciem vini, aliud omnino sumptionem eius declinare & abhorrere. *Qui à Leone reprehendun tur.*

Falsum est itaq;, Leonem illo contextu, aut prohibere communionem sub vna specie, aut iubere eã, quæ sub vtraq; fit: Falsum est pronunciari ab illo esse sacrilegium, ore corpus Domini accipere, & calicem redemptionis nostræ omittere: sed bene pro sacrilegio deputari debet, is qui auersatur, declinat, & detestatur, quod faciebant Manichæi: Falsum etiam est, adeò vsitatam tunc fuisse communionem sub vtraque specie, vt eius omissione Leo deprehenderit Manichæos.

Nam sic non fuisset difficile deprehendere, sed ex affectata non sola omissione, sed fuga eos intercepit. Sed & Gelasij illa sacerdotum reprehensio, qui ad altare stantes, corpore Christi sumpto à calice abstinerent, vsum vnius speciei, tum receptum fuisse, apertè docet. Contra, quam aduersarij reprehensionem Gelasij torquent. Nam Gelasius dicit : Comperimus, quod quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacri cruoris abstineant: qui proculdubiò quoniam nescio qua superstitione docentur astringi, aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia diuisio vnius eiusdemq; mysterij, sine grandi sacrilegio non potest prouenire. Aduersarij obijciunt, nos damnari à Gelasio grauiter, quod mysterium corporis & sanguinis Christi diuidamus. Qui si mentem Gelasij viderent, & quid ille hoc in loco reprehendat cogitarent, non nos damnari, sed nostram sententiam à Gelasio confirmari, deprehenderent. Nam cum passim populus Gelasij & Leonis

*De Gelasij autoritate & canone.*

*Aduersariorũ affectata reprehensio refellitur.*

tempore, vel vtramque, vel alteram tantum speciem sumeret, & plures essent qui corpore Christi contenti calicis vsum non poscerent, vt populo ita presbyteris ad altáre stantibus, & sacra mysteria consecrantibus, licere idem putabant, ac sumpto corpore Christi, à calice more laicorum & vulgi abstinebant: quod factum eorum Gelasius, ijs quæ retulimus, verbis, reprehendit. Neque illis sacrificando, idem licere quod vulgò liceret, ostendit, ac seuere pręcipit, vt ad altare rem diuinam facientes vtramque speciem sumant, & Christi institutum, qui nō solum discipulis dedit, sed ipse etiam vt sacerdos, sacra illa mysteria consecrauit, & antequam discipulis dedisset, manducauit suam ipsius carnem, & sanguinem potauit, sequerentur. Nam in populari distributione, & vsu sacramenti huius communicatio sola spectatur: in sacerdote prætereà oblatio sacrificij æterni, & consecratio expendenda est. Cum ergo non sit eadem sacrificantium, quæ communicantis ratio, & de manu sacerdotum

*Erroris origo sacrificantiū.*

*Discrimen inter populi cō-munionem et sacrificantiū. Non quod populo licet, sacrificanti etiā licebit.*

ſumentis populi: non idem ſacerdoti ſacrificanti, & hoſtiam illam ſacram offerenti licet, quod populo. Leo igitur non populo, vtriuſque ſpeciei ſumendæ neceſſitatem, ſed ſacerdotibus tantum impoſitum eſſe oſtendit, ac plane docet, imitatione populari in corpore Christi tantum ſumendo deceptos illos presbyteros, vt putarent ſibi licere, quod populo licuerit. Qui quidem ſenſus Gelaſij verborum facilè deprehenderetur, ſi illa epiſtóla, vnde ea verba quæ retulimus decerpta ſunt, extaret integra. Verebatur Gelaſius, ne, vt inter populum fidelem communicantem ſæpè Manichæi latuerunt, aliqui etiam errore eorum infecti, ad altare ſtarent, & myſteria ſacra tractarent. Quorum fraus ne latere poſſet, iubentur vtramque ſacramenti ſpeciem ſumere, vt ſi calicem aliquis declinaret, Manichæum ſe eſſe oſtenderet. Succeſſerat enim proximè Gelaſius Leoni, nondum etiam repurgata Eccleſia à Manichæis, & propterea de eiſdem loquitur, de quibus Leo locutus. Fraudi Manichæo-

rum

rum vterque occurrebat, ac sumendo calice Manichæos deprehendi iubebat. Et propterea verba ea Gelasij, non debent accipi tanquam perpetuum & generale edictum, quod ad omnes pertineret, cum de solis sacerdotibus rem diuinam ad altare facientibus, illud decretum referatur: nam sacerdotibus etiam in communione laica altera specie licebat vti. Obseruandum igitur quod ait: quoniam nescio qua superstitione docentur astringi, aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. Quasi diceret: Si isti abstinerent à calice, quia eis bibere non libet, aut quia se astrictos non putant, non mandarem eos à sacramentis integris arceri, aut integra percipere: sed quia ex superstitione Manichæa hoc faciunt, ideo oportet vt eam superstitionem deponant, atque se eam abominari ipso opere, vtramque speciem aliquando sumendo ostendant, aut tanquam infideliter de hoc sacramento sentientes, omnino à toto hoc sacramento arceantur: quia

*Vide Synod. Constantiens. Sess. 13. & Basiliens. 30.*

quia diuiſio vnius eiuſdemque myſte rij, ſine grandi ſacrilegio non poteſt prouenire. Grande enim ſacrilegium eſt, hoc vnum & idem myſterium, quod commendatur & continetur vtralibet ſpecie, nempe Chriſtum pro nobis mortuum diuidere, hoc eſt, ipſum myſterium in quantum ſub ſpecie panis commendatur recipere: in quantum verò ſub ſpecie vini commendatur, reijcere, & faſtidire, atque abominari. Non ſentit Gelaſius, quod ſacrilegium ſit vnam ſumere ſine altera: alioqui abſtemios, & infirmos, & alios ex rationabili cauſa à calice abſtinentes, & tot Eccleſiarum atque ſeculorum, vſum ſacrilegij, condemnaret, quod fuit à mente tanti Pontificis alieniſſimum. Sed veriſimilius eſt multò, quicquid Leo & Gelaſius eo tempore circa Euchariſtiæ vſum ſtatuerēt, eò ſtatuiſſe, vt Manichæorum fraudi & ſimulationi nulla occaſio daretur: & vtraque ſpecie communicantibus oblata, qui ex ea hæreſi eſſet, deprehenderetur. Et proinde circa ea Leonis tempora, Aranſiaca Synodus

*Non quia à calice abſtines, ſed quia per contemptum abſtines cum Manichæo damnat in te Gelaſius.*

*Gelaſij & Leonis conſilium exhibenda vtraq; ſpecie, vt fraudi occurratur Manichæorū, non quod neceſſitatem imponant ſub vtraq; fidelib. ſumendam.*

dus decreuit, non solum & purum pa-
nem populo dandum, verum vna
cum calice, vel saltem intinctum in ca-
lice, vt hoc modo si Manichæus quis
esset, vel vtraque specie vti cogeretur,
vel seipsum proderet, fuga calicis, &
vini odio. Prætereo multa alia exem-
pla & argumenta, quæ commodissi-
mè ad ostendendum sub vna specie sa-
cræ Eucharistię vsum fuisse receptum,
ac ab Ecclesia approbatum afferri pos-
sent. Vt illud præceptum in Latera-
nens. generali Synodo factum, quod
Eucharistiam in pixide iubet in arma-
rio reponi. Quod de calice dici non
videtur: panis enim in pixide reponi-
tur. Ad quod confirmandum non cō-
modè aptarentur controuersiæ enatæ
inter quosdam religiosos, qui sibi pe-
terent sub vtraq; specie dari sacramen-
tum Eucharistię, quasi ambigerent de
sanguinis præsentia in pane, quem so-
lum tantum capiebant. Quæ dubita- *Monachorum*
tio vt tolleretur, diuina prouidentia *duorum er-*
factum, quæ neminem errare vult. Nā *ror diuinitus*
quodam pio viro rem diuinam facien- *refellitur.*
te, & panem sacrum frangente, totum
con-

concauum patinæ, in qua hostia sacra frangebatur, sanguine oppletum esse, & eo spectaculo religiosos illos tanquam Thomam suo errore liberatos.
Alexander Halesius. Alexander Halesius libro 4. Summæ Theologiæ, quam ille iussu Innocentij quarti confecit, disertè narrat. Cui non dissimilis est illa narratio Ioannis Diaconi in vita Gregorij Magni, de muliere (vt hoc obiter hic inseramus, atque carnem Christi absque sanguine non esse, re ipsa confirmemus) quę, cum ille porrigendo Eucharistiam, diceret, Corpus Domini nostri Iesu Christi, conseruet animam tuam, subrisit, ac protinus dextram ab eius ore Gregorius retulit, partemque dominici corporis sub altare deposuit. Rogauit mulierem, quamobrem corpus dominicum sumptura ridere præsum psisset. At illa diù mussitans, tandem prorupit: Quia panem, inquit, quem proprijs manibus me fecisse cognoueram, tu corpus Dominicum perhibebas. Prostrauit se in orationē cum populo Gregorius, à qua surgens, panem illum carnem factum in altari offendit,

dit, vndè territa mulier fidem adhibuit. Respondebunt aduersarij, mulierem non expectasse poculum, sed statim effusam in risum. At si de more tantundem expectasset de poculo procax mulier addidisset: Quia vinum etiam, quod domo attuli, tu sanguinem perhibere soles. Nam dicitur in historia, solitas oblationes panis & vini illam mysterij Missæ intulisse. Nec obstat, quod mulier illa solitas oblationes panis & vini ad mysterium sacrificij intulisse dicatur. Etsi enim illa panem & vinum attulerit, non ideo tamen necessario concludere licet, Gregorium necesse habuisse vtranque speciem populo dare, cum liberum cuique esset, vel vtramque sumere, vel alteram tantum, & Gregorium vtrisque voluisse satisfacere, ac propterea vtramque speciem consecrasse, vt vtrique haberent, quod peterent. Si enim semper & necessariò vtraque species Eucharistiæ, passim omnibus dabatur, vt Euangelici contendunt, quid opus

erat

erat religiosos illos,(vt ad illos reuertamur) contentiones excitare, & flagitare sibi vtramque speciem dari,cũ passim omnibus daretur. Non aliunde illa contentio nata, quàm quòd sub altera tantum specie, maximè verò panis Eucharistia consueuisset dari. Nam per Ecclesias occidẽtales post Leonem & Gelasium,consuetũdo cõmunicandi sub vna specie inualuerat, vt potè quod circa eorum tempora, comprobata fuisset, & multis disputationibus ita confirmata, vt vim legis habere videretur.

*Quando sub vna specie cõmunicandi ratio increuit.*

*Refellitur aduersariorum reprehensio,ex verbis Cypriani petita: incrementa cõmunicationis sub altera specie, & origo vtriusque speciei flagitandæ exponũtur.*

## CAP. VIII.

*Refelluntur aduersarij qui Cypriani verba male accipiant.*

QVod autem aduersarij Cypriani nobis Epistolã ad Cornelium Romanum obijciunt, in qua ille flagitat à Cornelio, vt in gremium Ecclesiæ admittat pœnitẽtes,qui tempore persecu-

ſecutionis metu ſuppliciorum prolapſi, Chriſtum abnegarent. Illud totum nobis non aduerſatur: videbat Cyprianus alteram perſecutionem inſtare, & lapſos illos ad certamen illud futurum pro Chriſto benè animatos eſſe. Qui vt firmiores eſſent, ac robuſtiùs cum aduerſario ſathana congrederentur, Euchariſtiam ſuadet illis dandam, & ad communionem fidelium admittendos, à qua propter lapſum illum ſuum, excluſi erant. Loquitur quidem ille in epiſtola, de vtraque ſpecie Euchariſtiæ danda lapſis, ſed id non pugnat contra id quod agimus. Vſus Euchariſtiæ tempore Cypriani indifferens erat, tum in vna, tum in vtraque ſpecie, arbitrio ſumentis dabatur. Petit vt ad communionem admittantur lapſi: qui admiſſi, poſſent vel vtramque ſpeciem ſumere, vel alteram tantum: Id enim in illo promiſcuo vſu liberum illis erat. Porrò alterius ſpeciei vſum tempore Cypriani vſitatum fuiſſe, ex ipſo Cypriano iam demonſtrauimus, exemplo ex ſermone de lapſis. A toto vſu Euchariſtiæ lapſi illi

*Tempore Cypriani vſus vnius ſpeciei frequens.*

exclusi erant:non solum calicem illis, sed totam Eucharistiam postulat dari: Hoc verò est admitti ad communionem. Nam putare solum à calicis perceptione, exclusos illos lapsos fuisse, absurdum est, cum non dicat Cyprianus, qui exclusos Ecclesiæ vult restitui, & ad communionis participationem admitti postulet, qui admissi, vterentur ea vt illis videretur. Facultatem communicandi dari lapsis pœnitentiam agentibus, poscit à Cornelio Cyprianus, non calicem flagitat. Quod igitur Cypriani Authoritate contra nos vtuntur, nihil omnino agunt, cum Cyprianus etsi aquarios oppugnans, calicem firmius defenderet, eiusque vsum vna cum corpore Christi fidelibus commendet, ne videretur errorem eorum probare, qui reiecta calicis & vini consecratione, aquam loco eius reponerent, tamen vnius speciei vsum, qui suo tempore frequens erat, nunquam improbauit. Quæ ratio communicandi deinceps in Ecclesia viguit. nam & Chrysostomi temporibus & Augustini frequens fuit.

*Aquarij.*

fuit. Et Augustinus contra Pelagianos scribens, & pueris necessariam esse Eucharistiam contendens, sub specie vini infantibus dandam esse docuit. Quod etiam Cypriani tempore factitatum fuisse ipse Cyprianus testis est, in libro de lapsis, exemplo pueri, qui sanguinem CHRISTI ori suo infusum, euomuit. Quod exemplum quia ante retulimus, repetere non opus fuerit. Secuta vt diximus, tempora illa, quibus Nestoriana hæresis vigeret: ad quam tollendam Concilium Ephesinum tãtum vnius speciei communionem, decreto suo confirmauit, ac totum Christum sub altera specie sumi, docuit. Quæ ratio communicandi sub Leone & Gelasio, vires maximè sumpsit. Nam ita passim per Ecclesias serpebat, vt illa quæ sub vtraque specie esset, valdè frigesceret, & à paucioribus obseruaretur: Ita tamen, vt vtriusque rationis illius communicandi, libera potestas cuique esset, siue vellet altera tantum vti, siue vtraque. Quæ potestas com-

*Vnius speciei vsus incrementa sumit.*

*Tempore Thomæ libera cõmunio.*

communicandi & libertas, tempore etiam Thomæ Aquinatis, vt ipse testatur, seruata est. Sed cum passim ita vnius speciei vsum Ecclesiæ amplecterentur, Hussitarum secta in Bohemia propagata, obrepsit Petrus quidam Dresnensis, quod est oppidum Misniç, aggressus Iacobellum Misnensem, literarum doctrina, & morum præstantia clarum, qui apud Ecclesiam S. Michaëlis in Praga id temporis populum prædicando instruebat, mirari se dixit; doctum & sanctum virum, qui diuina eloquia plebibus exponeret, errorem illum non animaduertisse communionis Eucharistiæ, qui iam pridem Ecclesiam pessundásset, in qua sub vna tantum specie dominicum corpus ministraretur, cum apud Ioannem de vtraq; iubeat saluator: Nisi mãducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Commotus his Iacobellus, cum perquisitis vetustis sanctorum doctorum codicibus, Dionysij præsertim & Cypriani, communionem calicis laudatam inuenisset, publicè populum

*Quando cœpit hæresis, de necessitate vtriusq; speciei in Bohemia.*

*Ioan. 6.*

*Iacobelli Lenitas.*

lum commonere cœpit, ne deinceps communionem calicis, sine qua nemo saluari posset, quoquo pacto negligeret. Huic omnes hæretici consenserunt, haud modica gestientes lætitia, quod articulum reperissent in Euangelica lege fundatum, per quem vel Romanæ sedis ignorantia, vel nequitia argui posset. Res est relata ad Synodum Constantiensem, ac posteà ad Basiliensem, quæ damnarent eos, qui detestarentur, & improbarent communionem sub vna specie, & tanquã iam inueteratam consuetudinem eo modo communicandi laudant, & iustis de causis commendant, illos contra damnat, qui vtramque speciem quasi necessariam, à Christo præceptã postularent. Non tamen vtriusque vsum prohibuit, aut sustulit, cum constet, Martinum quintum Pontificem, posteà vtramque speciem Romæ populo suppeditasse. Testatur enim Reuerendissimus pater Henricus Ralty, seu Archiepiscopus Nidrosiensis, Martinum Romam reuersum, laicis sub vtraque specie communicasse: Talem

*Vide, inuidiæ aculeos.*

*occasio decernendi de vnius speciei vsu*

*Synodus non improbat vsum Eucharistiæ sub vtraque specie, nõ tamen necessitatem eius sumentibus imponit.*

 etiam

*Nec Constantiens. nec Basiliensis synodi sustulerunt communionem vtriusque speciei.*

etiam vsum Basiliensis Synodus Bohemis cōcedere voluit, modò rectam de Eucharistia profiterentur fidem. In horum conciliorum doctrinam & sententiam, omnes tandem Ecclesiæ occidentales, tacito consensu iuerunt, & vnam speciem sunt amplexæ, seque ab vtraque tanquam minimè necessaria, aut necessariò per Christum imperata, pia reuerentia ac metu violandi sacrosanctum Sacramentum continuerunt. In hac historiarum successione, tanquam in speculo intueri licet, vnam speciem ita versatam in vsu, sicut vtramque, ac postremò illam prælatam, propter certas & iustas causas. Non est igitur cur Euangelici tumultuentur, ac in eo Ecclesiam Romanam, quod ab ipsis Apostolis, atque adeò ab ipso Christo profectum, reprehendant, & vel ignorantiæ vel maliciæ eam accusent. Neque enim, quæ Ioannes de manducatione Christi, & potando sanguine scribit, ignorauit: neque malicia aut ob inuidiam, alteram speciem populo negauit, sed quod institutum & morem Apostolicum

*Nō vi aliqua pontificū, sed libero consensu apud oēs, vsus Eucharistiæ sub vna specie recipitur.*

*Vsus vnius speciei præfertur vsui vtriusque.*

*Ioan. 6.*

cum eum esse sciret, & traditiōem eorum sedulò tueretur, tantumq; sub altera specie, quantum sub vtraque esse. Et vt totum in pane & calice esse, ita totū in altero Christum sumi, certo sciret. Non enim est caro Christi absq; sanguine, neq; sanguis absque carne. Qui carnem manducat, & sanguinem in ea bibit: & qui sanguinem potat, carnem etiam manducat. Atq; ecquidem operæprecium est, Euangelicorum vel prudentiam, vel astutiam siue impudentiā hic videre. Qui, cum aliquid pro se videantur facere apud Doctores, & Ecclesiæ Catholicæ columnas, (quos patres, quòd hæreditatem veritatis, & veræ religionis, ab eis nobis traditam retinemus, & in eorum patrimonio, vt hæredes & filij versemur, meritò appellamus) reperiant, statim accipiunt, authoritatem eorum extollunt, veritatem eos vidisse, Spiritu sancto afflatos docuisse clamant, nos vt degeneres reprehendunt, qui vera patrum doctrina repudiata, ad scholas confugiamus, & Sophisticas cauillationes scholasticorū,

*Cur Romani alterius vsum probent.*

*Euangelici reprehenduntur*

*Doctores sancti cur patres dicuntur.*

veris dogmatibus,& patrum decretis anteferamus. Quoties illi ad Diuum Augustinum, Ambrosium, Cyprianũ, Chrysostomum, Hieronymum, Gregorium, Bernardum confugiunt, atq; eorum decretis armati, in nos impetum faciunt. Cum si quid nos à patribus cõtra illos acceptum, adferamus, nihil magis authoritatis relinquant, illis, quam ex infima plebe sellularijs, mox clamant, homines eos fuisse, errare potuisse, falsa docuisse, veritatem non vidisse. Quæ hæc quæso audacia? Si patrum doctrina pro te est, patres in cœlum tollis: si tuo errori scripta illorum, ac testimonia aduersa occurrant, infra infimos eos abijcis. Et quos extollis basin tua doctrina stabilienda, eos contra te venientes risu excipis. Poterit ne idem testis, & verus & mendax esse? Cuius testimonium contra te dicenti non recipis, neque pro te dicẽti recipere debes, leges etiam hoc docent: Vt quem quis testem contra se dicentem repudiet, eius testimonio in sua re & causa probanda, vti nõ permittatur. Veritas enim & mendaciũ,

*Audacia impudens aduersariorum.*

in eundem ſimul non cadunt. Aut igitur patres cum tota doctrina reijcite, aut contra vos & veſtros erros productos recipite, Aureum os, Ioannem Chryſoſtomum, dum teſtimonia eius ad cauſam veſtram profertis, appellatis, eundem ſtatim, vt vanum, ſi veſtros errores repugnet, abijcitis. Cui fidem ſemel detraxeris, quem vanum appellaueris, ſummæ vanitatis eſt, ad eius authoritatem doctrinaſque refugere, & in vmbra eius latere velle. Cypriani locum de calice lapſis dando extollitis, eiuſdem teſtimonia de altera ſpecie ridetis. Impudens iſta veſtra præuaricatio: aut facite arborem bonam, & fructus bonos: aut ſi fructus mali ſunt, arborem etiam malam. Nō poteſt arbor bona fructus malos ferre, neque arbor mala, bonos. Si Chryſoſtomus in vno mendax, neque in alijs verus eſt. Si errauit in ijs quæ contra tua figmenta afferuntur, neque illa bene dixiſſe iudicandus, quæ tu ex eo affers: Aut ſi iſta ſunt vera quę tibi dat, & illa vera eſſe, quæ nobis contra te largitur, negari non poteſt. Colligitis

*Euangelicæ præuaricatores.*

*Matt. 12.*

*Matt. 7.*

*Non quia à calice abstines, sed quia per contemptum abstines cum Manichæo damnat in te Gelasius.*

quia diuisio vnius eiusdemque mysterij, sine grandi sacrilegio non potest prouenire. Grande enim sacrilegium est, hoc vnum & idem mysterium, quod commendatur & continetur vtralibet specie, nempe Christum pro nobis mortuum diuidere, hoc est, ipsum mysterium in quantum sub specie panis commendatur recipere: in quantum verò sub specie vini commendatur, reijcere, & fastidire, atque abominari. Non sentit Gelasius, quod sacrilegium sit vnam sumere sine altera: alioqui abstemios, & infirmos, & alios ex rationabili causa à calice abstinentes, & tot Ecclesiarum atque seculorum, vsum sacrilegij, condemnaret, quod fuit à mente tanti Pontificis alienissimum. Sed verisimilius est

*Gelasij & Leonis consilium exhibenda vtraq; specie, vt fraudi occurratur Manichæorũ, non quod necessitatem imponant sub vtraq; fidelibus sumendam.*

multò, quicquid Leo & Gelasius eo tempore circa Eucharistiæ vsum statuerẽt, eò statuisse, vt Manichæorum fraudi & simulationi nulla occasio daretur: & vtraque specie communicantibus oblata, qui ex ea hæresi esset, deprehenderetur. Et proinde circa ea Leonis tempora, Aransiaca Synodus

dus decreuit, non solum & purum pa nem populo dandum, verum vna cum calice, vel saltem intinctum in ca lice, vt hoc modo si Manichæus quis esset, vel vtraque specie vti cogeretur, vel seipsum proderet, fuga calicis, & vini odio. Præterco multa alia exem- pla & argumenta, quæ commodissi- mè ad ostendendum sub vna specie sa- cræ Eucharistię vsum fuisse receptum, ac ab Ecclesia approbatum afferri pos- sent. Vt illud præceptum in Latera- nens. generali Synodo factum, quod Eucharistiam in pixide iubet in arma- rio reponi. Quod de calice dici non videtur: panis enim in pixide reponi- tur. Ad quod confirmandum non cō- modè aptarentur controuersiæ enatæ inter quosdam religiosos, qui sibi pe- terent sub vtraq; specie dari sacramen tum Eucharistię, quasi ambigerent de sanguinis præsentia in pane, quem so- lum tantum capiebant. Quæ dubitā- tio vt tolleretur, diuina prouidentia factum, quæ neminem errare vult. Nā quodam pio viro rem diuinam facien te, & panem sacrum frangente, totum

*Monachorum duorum error diuinitus refellitur.*

con-

concauum patinæ, in qua hostia sacra frangebatur, sanguine oppletum esse, & eo spectaculo religiosos illos tanquam Thomam suo errore liberatos.

Alexander Halesius.

Alexander Halesius libro 4. Summæ Theologiæ, quam ille iussu Innocentij quarti confecit, disertè narrat. Cui non dissimilis est illa narratio Ioannis Diaconi in vita Gregorij Magni, de muliere (vt hoc obiter hic inseramus, atque carnem Christi absque sanguine non esse, re ipsa confirmemus) quę, cum ille porrigendo Eucharistiam, diceret, Corpus Domini nostri Iesu Christi, conseruet animam tuam, subrisit, ac protinus dextram ab eius ore Gregorius retulit, partemque dominici corporis sub altare deposuit. Rogauit mulierem, quamobrem corpus dominicum sumptura ridere præsumpsisset. At illa diù mussitans, tandem prorupit: Quia panem, inquit, quem proprijs manibus me fecisse cognoueram, tu corpus Dominicum perhibebas. Prostrauit se in orationē cum populo Gregorius, à qua surgens, panem illum carnem factum in altari offendit,

dit, vndè territa mulier fidem adhibuit. Respondebunt aduersarij, mulierem non expectasse poculum, sed statim effusam in risum. At si de more tantundem expectasset de poculo procax mulier addidisset: Quia vinum etiam quod domo attuli, tu sanguinem perhibere soles. Nam dicitur in historia, solitas oblationes panis & vini illam mysterij Missæ intulisse. Nec obstat, quod mulier illa solitas oblationes panis & vini ad mysterium sacrificij intulisse dicatur. Etsi enim illa panem & vinum attulerit, non ideo tamen necessario concludere licet, Gregorium necesse habuisse vtranque speciem populo dare, cum liberum cuique esset, vel vtramque sumere, vel alteram tantum, & Gregorium vtrisque voluisse satisfacere, ac proptereà vtramque speciem consecrasse, vt vtrique haberent, quod peterent. Si enim semper & necessariò vtraque species Eucharistiæ, passim omnibus dabatur, vt Euangelici contendunt, quid opus

erat

erat religiosos illos, (vt ad illos reuertamur) contentiones excitare, & flagitare sibi vtramque speciem dari, cũ passim omnibus daretur. Non aliunde illa contentio nata, quàm quòd sub altera tantum specie, maximè verò panis Eucharistia consueuisset dari Nam per Ecclesias occidẽtales post Leonem & Gelasium, consuetudo cõmunicandi sub vna specie inualuerat, vt potè quod circa eorum tempora, comprobata fuisset, & multis disputationibus ita confirmata, vt vim legis habere videretur.

*Quando sub vna specie cõmunicandi ratio increuit.*

*Refellitur aduersariorum reprehensio, ex verbis Cypriani petita: incrementa cõmunicationis sub altera specie, & origo vtriusque speciei flagitandæ exponũtur.*

## CAP. VIII.

*Refelluntur aduersarij qui Cypriani verba male accipiant.*

QVod autem aduersarij Cypriani nobis Epistolã ad Cornelium Romanum obijciunt, in qua ille flagitat à Cornelio, vt in gremium Ecclesiæ admittat pœnitẽtes, qui tempore persecu-

ſecutionis metu ſuppliciorum prolapſi, Chriſtum abnegarent. Illud totum nobis non aduerſatur: videbat Cyprianus alteram perſecutionem inſtare, & lapſos illos ad certamen illud futurum pro Chriſto benè animatos eſſe. Qui vt firmiores eſſent, ac robuſtiùs cum aduerſario ſathana congrederentur, Euchariſtiam ſuadet illis dandam, & ad communionem fidelium admittendos, à qua propter lapſum illum ſuum, excluſi erant. Loquitur quidem ille in epiſtola, de vtraque ſpecie Euchariſtiæ danda lapſis, ſed id non pugnat contra id quod agimus. Vſus Euchariſtiæ tempore Cypriani indifferens erat, tum in vna, tum in vtraque ſpecie, arbitrio ſumentis dabatur. Petit vt ad communionem admittantur lapſi: qui admiſſi, poſſent vel vtramque ſpeciem ſumere, vel alteram tantum: Id enim in illo promiſcuo vſu liberum illis erat. Porrò alterius ſpeciei vſum tempore Cypriani vſitatum fuiſſe, ex ipſo Cypriano iam demonſtrauimus, exemplo ex ſermone de lapſis. A toto vſu Euchariſtiæ lapſi illi

*Tempore Cypriani vſus vnius ſpeciei frequens.*

exclusi erant: non solum calicem illis, sed totam Eucharistiam postulat dari: Hoc verò est admitti ad communionem. Nam putare solum à calicis perceptione, exclusos illos lapsos fuisse, absurdum est, cum non dicat Cyprianus, qui exclusos Ecclesiæ vult restitui, & ad communionis participationem admitti postulet, qui admissi, vterentur ea vt illis videretur. Facultatem communicandi dari lapsis pœnitentiam agentibus, poscit à Cornelio Cyprianus, non calicem flagitat. Quod igitur Cypriani Authoritate contra nos vtuntur, nihil omnino agunt, cum Cyprianus etsi aquarios oppugnans, calicem firmius defenderet, eiusque vsum vna cum corpore Christi fidelibus commendet, ne videretur errorem eorum probare, qui reiecta calicis & vini consecratione, aquam loco eius reponerent, tamen vnius speciei vsum, qui suo tempore frequens erat, nunquam improbauit. Quæ ratio communicandi deinceps in Ecclesia viguit. nam & Chrysostomi temporibus & Augustini frequens fuit.

*Aquarij.*

fuit. Et Augustinus contra Pelagianos scribens, & pueris necessariam esse Eucharistiam contendens, sub specie vini infantibus dandam esse docuit. Quod etiam Cypriani tempore factitatum fuisse ipse Cyprianus testis est, in libro de lapsis, exemplo pueri, qui sanguinem CHRISTI ori suo infusum, euomuit. Quod exemplum quia ante retulimus, repetere non opus fuerit. Secuta vt diximus, tempora illa, quibus Nestoriana hæresis vigeret: ad quam tollendam Concilium Ephesinum tãtum vnius speciei communionem, decreto suo confirmauit, ac totum Christum sub altera specie sumi, docuit. Quæ ratio communicandi sub Leone & Gelasio, vires maximè sumpsit. Nam ita passim per Ecclesias serpebat, vt illa quæ sub vtraque specie esset, valdè frigesceret, & à paucioribus obseruaretur: Ita tamen, vt vtriusque rationis illius communicandi, libera potestas cuique esset, siue vellet altera tantum vti, siue vtraque. Quæ potestas

*Vnius speciei vsus incrementa sumit.*

*Tempore Thomæ libera cõmunio.*

communicandi & libertas, tempore etiam Thomæ Aquinatis, vt ipse testatur, seruata est. Sed cum passim ita vnius speciei vsum Ecclesiæ amplecterentur, Hussitarum secta in Bohemia propagata, obrepsit Petrus quidam Dresnensis, quod est oppidum Misniç, aggressus Iacobellum Misnensem, literarum doctrina, & morum præstantia clarum, qui apud Ecclesiam S. Michaëlis in Praga id temporis populum prædicando instruebat, mirari se dixit, doctum & sanctum virum, qui diuina eloquia plebibus exponeret, errorem illum non animaduertisse communionis Eucharistiæ, qui iam pridem Ecclesiam pessundásset, in qua sub vna tantum specie dominicum corpus ministraretur, cum apud Ioannem de vtraq; iubeat saluator: Nisi mãducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Commotus his Iacobellus, cum perquisitis vetustis sanctorum doctorum codicibus, Dionysij præsertim & Cypriani, communionem calicis laudatam inuenisset, publicè popu-

*Quando cœpit hæresis, de necessitate vtriusq; speciei in Bohemia.*

*Ioan. 6.*

*Iacobelli Leuitas.*

lum

lum commonere cœpit, ne deinceps communionem calicis, ſine qua nemo ſaluari poſſet, quoquo pacto negligeret. Huic omnes hæretici conſenſerunt, haud modica geſtientes lætitia, quod articulum reperiſſent in Euangelica lege fundatum, per quem vel Romanæ ſedis ignorantia, vel nequitia argui poſſet. Res eſt relata ad Synodum Conſtantienſem, ac poſteà ad Baſilienſem, quæ damnarent eos, qui deteſtarentur, & improbarent communionem ſub vna ſpecie, & tanquā iam inueteratam conſuetudinem eo modo communicandi laudant, & iuſtis de cauſis commendant, illos contra damnat, qui vtramque ſpeciem quaſi neceſſariam, à Christo præceptā poſtularent. Non tamen vtriuſque vſum prohibuit, aut ſuſtulit, cum conſtet, Martinum quintum Pontificem, poſteà vtramque ſpeciem Romæ populo ſuppeditaſſe. Teſtatur enim Reuerendiſſimus pater Henricus Ralty, ſeu Archiepiſcopus Nidroſienſis, Martinum Romam reuerſum, laicis ſub vtraque ſpecie communicaſſe: Talem

*Vide, inuidiæ aculeos.*

*Occaſio decernendi de vnius ſpeciei vſu*

*Synodus non improbat vſum Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie, nō tamen neceſſitatem eius ſumentibus imponit.*

*Nec Constantiens nec Basiliensis synodi sustulerunt communionē vtriusq; speciei.*

*Nō vi aliqua pontificū, sed libero consensu apud oēs, vsus Eucharistiæ sub vna specie recipitur.*

*Vsus vnius speciei præfertur, quàm vtriusque.*

etiam vsum Basiliensis Synodus Bohemis cōcedere voluit, modò rectam de Eucharistia profiterentur fidem. In horum conciliorum doctrinam & sententiam, omnes tandem Ecclesiæ occidentales, tacito consensu iuerunt, & vnam speciem sunt amplexæ, seque ab vtraque tanquam minimè necessaria, aut necessariò per Christum imperata, pia reuerentia ac metu violandi sacrosanctum Sacramentum continuerunt. In hac historiarum successione, tanquam in speculo intueri licet, vnam speciem ita versatam in vsu, sicut vtramque, ac postremò illam prælatam, propter certas & iustas causas. Non est igitur cur Euangelici tumultuentur, ac in eo Ecclesiam Romanam, quod ab ipsis Apostolis, atque adeò ab ipso Christo profectum, reprehendant, & vel ignorantiæ vel maliciæ eam accusent. Neque enim, quæ

*Ioan.6.* Ioannes de manducatione Christi, & potando sanguine scribit, ignorauit: neque malicia aut ob inuidiam, alteram speciem populo negauit, sed quod institutum & morem Apostoli-

cum

cum eum esse sciret, & traditiōem eorum sedulò tueretur, tantumq; sub altera specie, quantum sub vtraque esse. Et vt totum in pane & calice esse, ita totū in altero Christum sumi, certo sciret. Non enim est caro Christi absq; sanguine, neq; sanguis absque carne. Qui carnem manducat, & sanguinem in ea bibit: & qui sanguinem potat, carnem etiam manducat. Atq; ecquidem operæprecium est, Euangelicorum vel prudentiam, vel astutiam siue impudentiā hic videre. Qui, cum aliquid pro se videantur facere apud Doctores, & Ecclesiæ Catholicæ columnas, (quos patres, quòd hæreditatem veritatis, & veræ religionis, ab eis nobis traditam retinemus, & in eorum patrimonio, vt hæredes & filij versemur, meritò appellamus) reperiant, statim accipiunt, authoritatem eorum extollunt, veritatem eos vidisse, Spiritu sancto afflatos docuisse clamant, nos vt degeneres reprehendunt, qui vera patrum doctrina repudiata, ad scholas confugiamus, & Sophisticas cauillationes scholasticorū,

*Cur Romani alterius vsum probent.*

*Euangelici reprehenduntur*

*Doctores sancti cur patres dicuntur.*

veris dogmatibus,& patrum decretis anteferamus. Quoties illi ad Diuum Augustinum, Ambrosium, Cyprianū, Chrysostomum, Hieronymum, Gregorium, Bernardum confugiunt, atq; eorum decretis armati, in nos impetum faciunt. Cum si quid nos à patribus cōtra illos acceptum, adferamus, nihil magis authoritatis relinquant, illis, quam ex infima plebe selularijs, mox clamant, homines eos fuisse, errare potuisse, falsa docuisse, veritatem non vidisse. Quæ hæc quæso audacia? Si patrum doctrina pro te est, patres in cœlum tollis: si tuo errori scripta illorum, ac testimonia aduersa occurrant, infra infimos eos abijcis. Et quos extollebas in tua doctrina stabilienda, eos contra te venientes risu excipis. Poterit ne idem testis, & verus & mendax esse? Cuius testimonium contra te dicenti non recipis, neque pro te dicēti recipere debes, leges etiam hoc docent: Vt quem quis testem contra se dicentem repudiet, eius testimonio in sua re & causa probanda, vti nō permittatur. Veritas enim & mendaciū,

*Audacia impudens aduersariorum.*

in eundem simul non cadunt. Aut igitur patres cum tota doctrina reijcite, aut contra vos & vestros erros productos recipite, Aureum os, Ioannem Chrysostomum, dum testimonia eius ad causam vestram profertis, appellatis, eundem statim, vt vanum, si vestros errores repugnet, abijcitis. Cui fidem semel detraxeris, quem vanum appellaueris, summæ vanitatis est, ad eius authoritatem doctrinasque refugere, & in vmbra eius latere velle. Cypriani locum de calice lapsis dando extollitis, eiusdem testimonia de altera specie ridetis. Impudens ista vestra præuaricatio: aut facite arborem bonam, & fructus bonos: aut si fructus mali sunt, arborem etiam malam. Nō potest arbor bona fructus malos ferre, neque arbor mala, bonos. Si Chrysostomus in vno mendax, neque in alijs verus est. Si errauit in ijs quæ contra tua figmenta afferuntur, neque illa bene dixisse iudicandus, quæ tu ex eo affers: Aut si ista sunt vera quę tibi dat, & illa vera esse, quæ nobis contra te largitur, negari non potest. Colligitis

*Euangelici præuaricato-r.s.*

*Matt. 12.*

*Matt. 7.*

ea quæ veſtram cauſam iuuare putatis, colligite etiam ea, quæ vos euertunt. Producitis patres in cauſa vtriuſq; ſpeciei ſtabilienda, cur ea quæ de altera illi dixerunt, quæ probauerunt, quæ accepta ab Apoſtolis Apoſtoliciſque viris, nobis tradiderunt, non profertis? Non cauſam veritatis agitis, ſed occaſiones diſſenſionū, ac turbandæ Eccleſiæ quæritis. Non hoc per vos agitur, vt inſtituto Chriſti, corpus & ſanguinem eius ſumatis, ſed vt Eccleſiæ Romanæ obedientiam denegetis, ac diſciplinam qua Eccleſia ſemper viguit, euertatis, veſtræque libidini frena laxetis. Non eſt recens conſuetudo ſub vna ſpecie Euchariſtiæ accipiendæ: ſemper in Eccleſia ea ratio, non minus quàm vtriuſque probata, & continuata ſucceſſione ad nos deducta, nec Romana tyrannide obtruſa, ſed libero conſenſu, propter ea quæ habet commoda recepta, ac magna cum diligentia aſſeruata. Hanc traditionem & conſuetudinem communicandi Polonia vna cum fide recepit,

*Euangelici occaſiones turbarum quærunt.*

*Studium Euangelicorū.*

*Speciei alterius vſus antiquus.*

Nun-

Nunquā reperietur, Polonos sub vtraque specie Eucharistiam, præter sacerdotes, sumere solitos. Recepimus autem fidem ante sexcentos annos, quo tempore vsus Eucharistiæ, liber cuique erat, siue eam sub altera, siue sub vtraque quis vellet sumere. Nos vna cum fide, vnam speciem & optauimus, & receptam, magna cum fide & constantia retinuimus, ac retinemus. Neque Lutherus, neque alij ex eius schola, profecti, ignorarunt hanc rationem probatam, & Deo acceptam esse, sed vt dixi, occasionem Lutherus quæsiuit Romani Pontificis accusandi, eiusque iugum, quod libidini suæ graue videbatur, excutiendi. Vnde illa eius vox. Si Concilium alinquando vtriusque speciei vsum restitueret populo, se cum suis, aut altera specie, aut neutra vsurum, ne videretur Papæ & Concilij authoritatem probare, eiusque decretis parere. Quid igitur quæsiuit? Discordiam, & rei Christianæ, qua pacifica manente, stare non posset, perturbationem. Sed missa Lutheri, & commilito-


*Poloni sub vna specie semper communicarunt.*

*Lutheri sta-*

*Lutherus cu-ius miles.* litonum eius, militum aut Sathanæ insania: ad rem ipsam redeamus.

*De duplici manducatione differitur: spirituali, quæ est fides in Christum: & reali, quæ constat esu sacramentorum: & quomodo Christi verba accipienda sunt: Nisi manducaueritis carnem, &c. & in qua manducatione lex verborum Christi immota est, vbi variat ostendit.*

## CAP. IX.



T quoniam vsum alterius speciei in Ecclesia tam Latina, quam Orientali, frequẽtem fuisse docuimus: quam vim habeant verba illa Christi Domini, quibus negat nos vitam habituros, Nisi manducauerimus suam carnem, & bibamus suum sanguinem. Ait enim: Amen, amen dico vobis, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æter-

*Quæ sit vis verborum Christi.*

*Ioan. 6.*

æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. His enim illi verbis sub vtraque specie communionem sumēdam vrgent, nec licere aliter Eucharistia vti, quàm hæc Christi verba sonant, contendunt: & nos qui alteram tantum populo damus, impietatis ac nefarij sceleris reos agunt. Cuius accusationis principē fuisse Petrum Dresnensem, & subscriptorem eius Iacobellum Misnensem, qui Petro monente, & verba Christi hæc quæ retulimus recitante, commotus grauiter, & suā & Ecclesiæ ignorantiam damnauit, ac populum hortari cœpit, ne, nonnisi sub vtraque specie Eucharistiam sumerent. Homo vt alijs videretur literatus, vt mihi leuis & insanus, qui statim, vt hæc audiuit verba, Petro acquieuerit, & Ecclesiæ institutum damnarit, cum prudentis hominis sit, non temerè consuetudinem receptam, omniumque consensu probatam conuellere, & de iudicio sensuque omnium iudicare. Conueniebat homini erudito, & Ecclesiæ consilium, & sensum verborum Christi diligentius per ue-

*Petrus Dresnensis.*

*Iacobellus.*

*Prudentis hominis officium.*

uestigare, verbaque Christi cum eo, quod Ecclesia faceret, conferre. Quod si factum fuisset, & Petrus iste & Iacobellus, consuetudini huic non fuissent aduersati. Non negamus Christum ad carnis suæ manducationem & sanguinem potandum, quem daturus nobis esset, his verbis hortari, & hanc suam promissionem in cœna illa suprema, re ipsa confirmasse, cum Apostolis primum panem illum sacrum, quem in carnis suæ naturam vertit, & calicem sanguinis sui daret: sed dicimus, eum qui carnem Christi manducat, in ipsa carne sanguinem potare: & qui calicem absque carne sumat, vna cum calice carnem sumere, & tantam vnius speciei vim esse, quãtam vtriusq;, Christus enim indiuisus est. Vt in vtraq; totus sumitur, ita in altera totus: dum edimus carnem Christi viuam, & sanguinẽ eius potamus. Siue igitur vtraq; specie Eucharistiæ vtamur, vt Corinthij quos Paulus probat, siue altera tantũ: Quod in plerisq; Ecclesijs seruatũ, & approbatum ostendimus, & pcepto Christi huic, & facto in cœna illa suprema,

*Christi cœna.*

ma, satis nos facere profitemur. Cum & Christus Cleophæ sub specie panis tantum Eucharistiam porrexerit, & Iacobus Hierosolymis eam rationem secutus fuerit, & Ecclesiæ non solum cũ communicandi vsum, non improbarent, sed constãter approbarent, ac omni tempore conseruarent. Cum igitur Iacobelle sumebas panem, carnẽ Christi manducabas, & calicem simul bibebas: & solo calice sumpto, & bibebas & mãducabas. Nõ est caro Christi absq; sanguine, neq; sanguis absque carne, vt fingebat Nestorius à Cõcilio meritò damnatus. Si manducasti carnem Christi, & sanguinem bibisti: si bibisti sanguinem, manducasti & carnẽ. Viua est caro Christi, viuus hic est panis, qui non est absq; sanguine. Dices, video panẽ quem Christus carnẽ suam appellat, sed sanguinem non video: video calicem, carnem non video? Non enim habes oculos, quib. illa mysteria Christi perspiciuntur. Non oculis carneis istis illa videntur, sed oculis fidei quæ cœlos penetrauit, quæ maiestatẽ inuisibilem apprehẽdit, & oculos suos

*Obiectionis refutatio.*

*Fidei vis.*

in lucem illam diuinam, & inaccessibi lē intulit. Quod tu vides & belluæ vident, eundē enim sensum & oculos hābēt: Nos belluę nō sumus, pręter hos belluinos oculos. Fidei oculos à Christo accepimus, quibus sanguinem in carne Christi, & carnem in sanguine inspectamus, ac planè contuemur. Cum esses in Ecclesia Iacobelle, vna specie sumpta, vtramque sumebas, totum Christum intra tua viscera recipiebas, totius gratiæ eius particeps eras, totiusque eius corporis, cuius Christus caput est, membrum fuisti. Profugus ab Ecclesia, extra quam Sacramenta, aut omnino non sunt, aut ea sunt, quæ nullam gratiam adferant, totius Eucharistiæ vsum & fructum amisisti, quantumuis frequentissimè vtramq; speciem sumas: Extra Ecclesiam enim, nec salus, nec gratia est. Ecclesia autem vna est, vna est, inquit ille, electa mea, vna columba mea: vnus pastor est, & vnum ouile. Non est igitur quod iactes te plus vidisse, quam Romana Ecclesia viderit, in Sacramento Eucharistiæ. Nam quam falsa sit opinio ista [ve]

*Oculis fidei fideles, sanguinem in carne, carnem in sanguine Christi audent.*

stra

ſtra, neminem vitam in ſe habere, niſi manducauerit carnem, & biberit ſanguinem Chriſti, & quidem vt vos vultis reali manducatione, quomodo latro vitam in cruce conſecutus, quomodo meruit audire, Hodie mecum eris in Paradiſo. Non edit carnem Chriſti, non bibit ſanguinem eius latro ille, quo igitur modo vitam conſecutus? Legimus prætereà multos, vt primum crediderunt ad necem abreptos, quibus non ſolum manducandæ carnis Chriſti, ac potandi ſanguinis facultas non data, verum neque aqua ad baptiſandum, qui tamen ſanguine ſuo, quem pro Chriſto effundebant, baptiſati, abſque manducatione vitam adepti, & abundantius adepti, ſtatimq; in numerum martyrum relati. Qui omnino à vita quam Chriſtus dat, ea lege quam latam à Chriſto vrgetis, & neceſſariò cuique ſeruandam contenditis, excluderentur: Audirent ſtatim, non manducaſtis carnẽ filij hominis, non potaſtis eius ſanguinem; non debetur vobis illa, quam Chriſtus manducantibus carnem ſuã,

*Iacobellus refellitur exemplis.*

& potantibus sanguinem dat. Non audiuerunt tám tristem sententiam, sed illam lætam: Venite benedicti patris mei, possidete regnum ab æterno à patre vobis paratum. Audierunt, Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor cũ corã patre meo. Confessus latro, cõfessi martyres nondum baptisati, cõfitetur eos Christus coram patre, suos milites esse docet. Quid verò confessio Christi, nisi vita illa æterna? Habent igitur illi vitàm æternam, te etiam inuito, & nos qui altera specie vtimur, de vita nostra nihil dubitamus. Nunq̃ Iacobelle Ecclesia, nunq̃ sancti patres, q̃ te paulò eruditiores fuerunt, quorũ sanctitatẽ, innocentiam, integritatem mundus admiratus, tantã impietatem, quantam Ecclesiæ Romanæ obijcis, passi fuissent in gremio suo reponi. Neq; video te eũ esse, q̃ dogmata Christi & testamentũ eius fidelius custodias, q̃ illi custodierunt. Si vidissent preceptũ Christi, necessariò ab omnibus seruandũ, violari, statim se obiecissent, in re tam ardua, tam necessaria, non tam remissi,

Matt. 10.

Matt. 10.

Vrgetur Iacobellus.

vt tu putas fuissent: sed quod vidissent eam mentem Christi esse, quod ita spiritu, qui in cordibus eorum effusus erat, doceretur, vt siue alteram, siue vtrãq; partẽ Eucharistiæ quis sumeret, eum & carnem Christi manducare, & sanguinẽ simul potare. Neq; ad realẽ, & sacramentalẽ communicationem, oẽs necessariò ita vrgeri, vt ea vel tota, vel parte eius interdum obmissa, vita priuaremur, cum, vt dixi, latro in cruce Christũ confessus, & martyres pleriq; nondũ baptisati absq; esu carnis Christi, & potu eius sanguinis, vitam æternam adepti sunt, ac inter martyres Christi vna cũ Christo, de ipsa morte & authore eius Diabolo, triũphãt.

*Cur patres alteram speciẽ receperunt.*

Sed dices: Igitur cum tuo latrone Eucharistiæ vsum tollis, & absque carnis Christi, quam ille dedit pro mundi vita, manducatione, & potu sanguinis eius, vitam æternam homines consecuturos, asseris? Cum Christus dicat: Amen, amẽ dico vobis: nisi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinẽ, non habebitis vitam in vobis? Est verũ quod dicis, Christi ver-

*Obiectio.*

immota sunt, æternam veritatem habent. Nisi manducauerimus carnem Christi, certum est, vitam æternam nos in nobis non habituros: sed manducamus & bibimus semper, credimus enim in Christum Iesum, qui dixit: Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit viuet, & : Qui credit in me, habet vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, vt agnoscant te Deum, solum æternum, & quem misisti Iesum Christum. Hæc enim est prima manducatio, & hic ad mensam primus accessus: accedentem enim ad Deum credere oportet. Sine fide Deo nemo placere potest, nemo ad eius mensam accedere. Credidit latro in Christum, ad misericordiam eius supplex confugit, & cum videret hominem, & hominem cruci vt & seipsum affixum, Deum tamen fide apprehendit, & in eo suam spem locat: cum corpore nō posset, mente & voce ad eum accedit, & vitæ eius particeps esse precatur. Manducauit igitur latro, manducauerunt & illi martyres, quos statim, vt Christum confessi fuerant, nec spaciū

*Mystica & spiritualis manducatio, sine qua vita haberi non potest.*

*Ioan. 6.*

*Ioan. 17.*

*Fide manducari corpus Christi dicimus, non illa mortua quæ operibus bonis caret, sed viua, quæ per charitatem operatur, vt inquit Paulus.*

*Paulus ad Hebræos.*

*Latro Deum fide in Christi carne crucifixa videt.*

aut

aut facultatem, non ſolum manducandi panis, quem Chriſtus Apoſtolis dedit, & bibendi calicis, ſed neque in nomine Chriſti baptiſandi, haberent, manducauerunt autē non ore mandentes, ſed corde credentes. Qui enim credit in Chriſtum Ieſum, ille manducat carnem Chriſti, ille potat ſanguinem eius, ille habet vitam æternam in ſe. Quæ quidem manducatio myſtica & ſpiritualis eſt: ſpiritus enim credit, ſpiritus fide Chriſtum Ieſum Dei filium, & panem illum viuum, qui de cœlo deſcendit, apprehendit. Huius manducationis materia & cibus eſt Chriſtus ipſe paſſus, & caro eius quæ data eſt pro mundi vita, ac ſanguis qui pro nobis effuſus eſt. Chriſtus enim eſt panis ille, qui de cœlo deſcendit, quem pater dat de cœlo. Hunc panem manducamus, dum credimus: hic panis animos noſtros ad vitam æternam vegetat. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam, & in nouiſſimo die à morte excitatur. Qui credit in Chriſtum, etiam ſi mortuus fuerit, viuet.

*Spiritualis manducatio.*

*Materia manducationis ſpiritualis Chriſtus.*

*Ioan. 10.*

*Ioan. 6.*

Hæc est vita æterna, cognoſcere Deũ ſolum æternum, & quem miſit ille Ieſum Christum. Huius igitur ſpiritualis cœnæ & manducationis, Christus eſt cibus, & panis viuũs, qui de cœlo
*Ioan.6.* deſcendit, qui mundo dat vitam, & cibus ille qui non perit, quem ipſe Christus nos operari pręcipit, ad quem neque ventre, neque dentibus opus eſt,
*In Ioannem.* fide ſumitur. Quid ventrem & den-
*Ioan.7.* tes, inquit Auguſtinus paras? Crede & manducaſti. Cum enim Chriſtus fidem in Deum patrem, & ſe, doceret, & fide manducandum omnibus ſe offerret, turba propter panem quem in deſerto ei dederat, trans mare etiam eum ſecuta, non credere, quod Chriſtus voluit, ſed ventrem implere parata. Quod cum Chriſtus videret, alium cibum à ſe peti iubet, non hunc qui periret panem, qui mãducatus per ſeceſſum abijceretur, qui vitam æternam non daret, corpus tantum ſuſtentaret, ſed illum qui vitam æternam dat, qui non perit, qui nos perire non ſinit, qui vitam æternam dat, qui ipſe eſt viuus, & vita ipſa, quẽ

pa-

pater de cœlo dat, qui est ipse Christus verus Deus & verus homo, quem panem non ore, sed corde accipimus, non dentibus terimus, sed fide man ducamus. Quem qui habet, spiritu manducat, & vitam æternam meretur. Quia cum hic cibus viuus sit, imò vita ipsa, vitã in nobis operatur. Huius mensæ latro non fuit expers, credidit, & credendo in Christũ, manducauit hunc panẽ viuum, quo saturatus, in paradisum vna cum Christo ingressus. Ad illam manducationem q̃ sacramenti est, in quam panis in carnem Christi ipsius, Christi potestate & verbo eius vertitur, & quẽ Apostolis in extrema cœna dedit, & ad calicẽ noui testimenti non peruenit. Huius manducationis non fuerunt participes martyres illi, ad supplicia à prima confessione Christi, & à mensa spirituali abrepti. Ad quàm mensam Iacobellus ita populum vocabat, vt non aliter accumberet, quam si Eucharistia sacra, in vtraque specie eis, apponeretur, alteram tantum appositam repudiaret, nefas esse alteram absq; altera

*Latro cuius mensæ Christi particeps.*

*Manducationis realis latro expers fuit.*

*Iacobellus ad mensam realis manducationis populũ vocat.*

*Manducationis realis alia ratio quam spiritualis.*

ſumere crederet. Cum Eccleſia, non ſolum vtriuſque, verum etiam alterius vſum legittimum ſemper fuiſſe doceat. Neque minus participem eum eſſe Chriſti cœnæ, non minus ſatiari, non minus ad vitã vegetari, qui vnã ſpeciẽ ſumpſerit, qui ſolã carnẽ mãducauerit, ſolum calicẽ biberit, q̃ qui vtraq; vſus fuerit. Et qui alteram ſumeret, Chriſti p̃cepto ſatisfacere, Chriſti carnem manducare, & ſanguinem eius potare. Quod Iacobellus cũm ſuo Petro non viderunt, ac Chriſti verba,

*Populo incalcarunt, & Eccleſias turbarunt.*

ſenſu eorum vero, & conſenſu Eccleſiæ perpetuò non apprehenſo, putabant eam formam, qua Chriſtus in cœna ſuprema vſus ſit, æternum ac immotum eſſe, neminemque ab ea neceſſariò ſeruanda excipi, cum non viderent & hic, & in alijs ſacramentis tractandis, non ita à Chriſto præſcriptam formam, vt non liceret ab ea diſcedere. Cum & baptiſmi forma interdum cõmutata ſit. Nam cum ille baptiſari credentes in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti Apoſtolis mãdaſſet, nihiloſeciùs Petrus pœnitentibus

*Hoc ita eſſe docet Claudiꝰ de Sainctes decima repetitione ca. 4. de rebus Euchariſtiæ controuerſis contra quãni aliqui moroſè cõtendunt & Concilium Tridentinũ.*

bus Iudæis, & quid facto pro ſcelere à ſe traditi Chriſti, opus eſſe quærentibus reſpondit: Pœnitentiam agite, & baptiſetur quiſque in nomine Ieſu. *Act. 2.*
Quam formam diutius Apoſtoli retinuerunt, in nomine Ieſu tantum baptiſantes, vt Actus Apoſtolorum non obſcurè docent. Et Chriſtus inter cœnandum carnem ſuam, poſt cœnam vero, ſanguinem Apoſtolis dedit, Eccleſia verò nonniſi ieiunis dat. Teſtatur Tertullianus, fideles ante omnem cibum panem ſanctum, quem à preſbyteris acceptum domi aſſeruarent, ſumere ſolitos, hoc eſt, ieiunos. Et Chryſoſtomum à duobus Diaconis accuſatum eſſe, quòd non ieiunis videretur Euchariſtiam dare, iam diximus: Et Paulus ebrietatem, & commeſſationem Corinthiorum, in ſancta cœna reprehendit: & quod ebrij corpus Chriſti ſumerent, cœnam eã dominicam eſſe negat. Cur non exclamarunt Corinthij, cur nos reprehendis? Chriſtus poſt eſum agni Paſchalis panem ſanctum dedit diſcipulis, poſt cœnam calicem porrexit, ſaturis Eu- *Ordo cœne mutatus.* *Ad vxorem.*

chariſtiam corporis & ſanguinis ſui tradidit, tu verò ieiunium à nobis ante eam ſumptionem requiris? Multa commutata pro tempore, docente illo de quo Chriſtus ipſe dixit: Multa habeo dicere, ſed non poteſtis modo capere: paracletus quem ego à patre mittam vobis, docebit vos omnia. Quid docuit? idem quod Chriſtus. Non à ſe, inquit Chriſtus loquetur, ſed de meo accipiet, ea quæ ego docui apud vos, explanando & interpretando vos docebit. Ego dedi meipſum vobis, in ſpecie panis & vini, ille docebit vos myſteria hæc paſſionis meæ, & ſub vtraque & ſub altera etiam ſpecie integra eſſe. Et qui manducauerint carnem meam, ijdem & ſi non ſumpſerint calicem, bibent ſanguinem meum. Qua de re vobiſcum diſſerere pluribus nolo, quoniam nec eorum myſteriorum capaces modo eſtis, vix creditis panem carnem meam eſſe, vix calicis vinum ſanguinem: multi hoc nomine ſcandalizati, retro abierunt, durus ſermo illis viſus.

*Infirmitas Apoſtolorum*

Quod

Quod si adiungeret etiam Christus, panem solum carnem suam viuam esse, & sanguinem in ea contineri, riderent planè, & qui sensus iudicium sequerentur, multò magis mirarentur,& turbarentur. Cum igitur huius mysterij capaces tum non essent, id totum in illud tempus reiecit,cum Spiritu sancto accepto, dociles vt Propheta promisit,fierent. Cur, dicees, non statim illis spiritum illum intellectus dedit? Quia nondum hora & tempus eius dandi erat, quia ad patrem nondum ascenderat: Nisi abiero,inquit, Paracletus ille non veniet ad vos, cum abiero mittam eam ad vos, ille vos docebit omnia: docebit quo sensu verba mea accipi debet, quæ voluntas mea in his quæ constitui,sit,ostendet. Quod igitur Ecclesia facit, docente Spiritu sancto facit: quod extra Ecclesiam fit, non docente Spiritu sancto fit, sed docente illo spiritu fit,qui mendacem spiritum in ore Prophetarum se promisit fore. Non est cur Ecclesiam Iacobellus reprehendat: ab instituto Christi nō recess-

*Ioan.6.*

*2.Reg.22.*

*Ecclesia insti tutum Christi sequitur.*

cessimus. Instituit ille cœnam: obseruamus sedulo cœnam. Dixit ille, Hoc facite: hoc Ecclesia facit, carnem & sanguinem Christi sumit. Non ea quidem prorsus ratione, qua ille in cœna duodecim vsus est, sed ea qua apud Cleopham adhibuit sub panis specie solum Eucharistia data, idem quod ille fecit: non eodem tamen modo facimus. Non dixit Christus, quo modo ego nunc vtor, eum vos perpetuò obseruate, & necessariò obseruate, sed ait: Hoc facite. Potest idem fieri quamuis non eodem modo. Qui baptisant, nō vnam & eandem formam, verborum in eo sacramento exercendo, obseruant. Latini dicunt: Ego te Baptiso in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Græcus dicit: Baptisetur seruus Dei in nomine Patris & Filij & Spiritussancti. Et Petrus dixit: Baptisetur quisque in nomine Iesu. Verba variant, forma verborum diuersa, res eadem. Vtranque speciem Eucharistiæ sumis, carnē Christi manducas, & sanguinem eius potas. Alteram tantum sumis, idem quod Chri-

*Idem quod Christus fecit, Ecclesia facit, non eadem tamen forma.*

ſtus tradidit facis, hoc eſt, manducas & bibis: modus & ratio ſumendi variat; res eadem eſt. Integer Chriſtus in altera ſpecie ſumitur, perinde atq; ſub vtraque. Nunquam caro Chriſti viua abſque ſanguine eſt, neque ſanguis abſque carne: non eſt caro illa exanguis, vt Neſtorius blaſphemat, Chriſtus inter cœnandum, panem Apoſtolis frangit, & ait: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur, calicem poſtquam cœnatum eſt porrigit, & ait: Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur. Quomodo carnem ſuam primum dedit, ſi illa vera caro Chriſti abſque ſanguine erat? Cur ſanguis ille tanto interuallo temporis abſque carne illa viua Chriſti viuus ſanguis erat? Quia in carne illa erat, vt caro in ſanguine. Elementa illa ſiue ſacramenta panis & vini diſiuncta videbantur, & diuerſo tempore porrigebantur: Chriſtus in illis ſeipſum Apoſtolis dabat indiuiſus erat. Simul myſtica caro illa quæ frangebatur, & ſanguis ſacer qui fundebatur, erant: ſenſus ſacramenta, & ſigna ſeiun-

iuncta à se videbat: fides verò, res quæ significantur coniūctas, & vnum Christum indiuisumq́;, & panem non iam panem, & vinum non iam vinum, sed carnem viuam Christi, & sanguinem eius viuum cernit. Etsi enim formæ elementorum manerent, substantia tamen panis in carnem, & vini in sangunem à Christo mutata erat.

*Cur Christus diuinitatem dißimulauerit.* Nam vt diuinitatem suam, ad quam accedere nemo posset, humanitate vestiuit, vt nobis per eam ad se accessus esset, & cum videretur filius hominis, Deus esset. Ita carnem suam & sanguinem, formis & accidentibus elementorum panis & vini vestiuit, ne cum Capharnaitis dicamus: Quomodo hic potest nobis carnem suam dare ad manducandum? Et cum discipulis: Durus est sermo, qui eum potest audire? Et ingratis Iudæis: Nauseat anima nostra super hoc cibo. *Num. 11.* Vt igitur omne fastidium à carne sua & sanguine amoueret, panis formam externam carni suæ, sanguini verò vini, & saporē & colorem reliquit, substantia elemēti in aliam naturam ver-

sa,

ſa, qui ſignificans dixit: Panis quem e- *Realis manducatio quæ ſit.*
go dabo vobis, caro mea eſt: panem
vides, carnem meam manducas. At-
que illa hæc eſt communio & mandu
catio, quam alij realem, alij ſubſtan-
tialem, alij verò ſacramentalem ap-
pellarunt, in qua ſub ſignis viſibili-
bus, & elemento panis ac vini, verus
Chriſtus, vera caro, & ſanguis eius ſu-
mitur, & manducantibus datur. Cu- *Materia realis manducationis.*
ius eſt materia panis & vini viſibiles
ſpecies, & Chriſtus ipſe inuiſibilis cru-
cifixus, cuius crucem in ea ipſa man-
ducatione recolimus. Hoc enim quo- *Vſus realis Euchariſtiæ manducationis.*
tienſcunque facimus, quotiens con-
ſecramus ac manducamus, mortem
Domini annunciamus, ac pro benefi-
cio gratias agimus. Ex hac menſa non
manducauit latro, non manducaue *Latro quomodo non manducauit.*
runt martyres illi, qui ante baptiſan
dum ad ſupplicia abrepti, prioris
manducationis beneficio ac virtute,
vitam æternam adepti. Quam tamen
realem manducationem ſi temerè &
arroganter, ſicut vos Euangelici faci-
tis, aut neglexiſſent, aut repudiaſſent,

à pri-

à prioris etiam fructu excidiſſent, fruſtra hanc ſpiritualem corporali arroganter repudiata, iactaſſent, Chriſtũ intra ſua viſcera non haberent, qui cum ſacramentali manducatione re ipſa recipitur. Nam quemadmodum fides in anguſtijs temporis deprehenſa, & poteſtate aqua tingendi adempta abſque baptiſmo reali vitam præſtat. Si dato temporis iuſto ſpacio & poteſtate baptiſmũ aut negligas aut repudias, nullum fructum, imò ſupplicium grauius tibi parit: ita & illa manducatio ſpiritualis, ſi hanc realẽ & ſacramentalẽ habita facultate & copia tẽporis, vel negligas, vel ſuperbè repudies, nullum fructum tibi pariet. In hac cum illa acquieſcit, & hac perficitur: voluit enim Chriſtus non ſolum ſpiritu à te manducari, ſed etiam reipſa corpus ſuum & ſanguinem ſuum verum ſumi, & non animum tantum tuum, ſed & corpus tuum eo vegetari. Hanc cœnam ea nocte, qua tradebatur inſtituit, vt hac illam ad quã toto doctrinæ tempore ſuo tempore diſcipulos vocabat, corroboraret.

Sed

Sed ad rem redeamus. Et quidem hæc manducatio sacramentalis, absq; illa quæ Spiritus est, non solum fructum multū manducantibus parit verumetiā magno detrimento eos afficit. Si vtilem hanc Sacramenti mensam vis esse tibi, ex ea quæ Spiritus est primū manducandum est: credere primum in Christum oportet. Qui non credit, & in spiritu non manducat. Ad hanc mensam cum Iuda non accedat; Qui enim aut prorsus in Christum non credit, aut male credit, aut titubat in sua fide, iudicium sibi manducat, & pro vita æterna, mortem non solum illam animæ, sed plerunque hanc etiā corporis meretur. Propterea, inquit Paulus, multi vestrum dormiūt, multi ægroti sunt. Illa igitur prior manducatio absque hac posteriore vtilis est, vitam parit, per eam solam latro vitam æternam consecutus est: hæc absque illa consistere non potest. Cum igitur manducamus sacramētali manducatione, vt dignè ducemus simul & spiritualiter, & per fidem in Christū mādūcare debemus, credere in Chri-

*Realis manducatio absq; spirituali, nihil prodest.*

*1. Cor. 11.*

*Spiritualis manducatio absque reali vtilis.*

P stum

ſtum crucifixũ,& quę nobis ille ſacramẽta tradidit,& vera eſſe,& ſalutis noſtræ inſtrumẽta, veram carnẽ & viuã, quã ille pro mũdi vita dedit, nos manducare,& ſanguinem verum quem in cruce effuderit, bibere,firma & nõ dubia fide apprehendere & credere debemus,niſi velimus nobis iudiciũ manducare. Atq; vt ſpiritualis abſq; ſacramentali mãducatione, non caret magnis fructibus, ſacramẽtalis vero aut nullum fructum,aut perniciem abſq; ſpirituali procreat. Ita vtraque ſimul cõiuncta immenſa bona parere ſolet, quibus & mentes noſtras & corpora ſanat,roborat,Chriſto cõiungit,ac in vnũ corp⁹ cõformat,à morte liberat, cõtra Diabolũ & peccatũ armat, vitã æternam dat. Cum enim conſtemus corpore & animo,& corpus et anim⁹ paſci debet.Sola ſpiritualis manducatio,animos paſcit tantum: coniuncta cum hac ſubſtantiali,quæ eſt in ſacramentis, & corpus & animum vegetat.Quare mirum eſt, Caluinum ſibi eos fructus & ſuis inuidiſſe, & in ſola illa ſpirituali, & fidei manducatione

*Spiritualis manducatio quæ.*

*Commoda vtriusq; manducationis.*

*Spiritualis manducatio animũ paſcit.*

acquiescere, vel prorsus sacramentali neglecta, vel non eo loci, vt Christus voluit habita, ac dicis causa tantum adhibita: Nam reuera nihil illi virtutis tribuit. Ait enim vitam residere in essentia diuina, à qua defluat in carnem Christi, & ab ea in nos percoletur: atque ita nos regenerari, iustificari, & Christo incorporari, non per vitam, aut qualitatem creatam, sed per diuinam & Deo coëssentialem in nobis habitantem: sic enim ille blasphemans ait: Quis quæso non videt Caluinum, diuinitatem in qua vitæ sedem locat, à carne Christi seiungere? Aliud enim est vnde vita defluit, aliud per quod defluit: vt, aliud est fons vnde aqua fluit, aliud canalis per quem fluit: canalis aquam suam non habet, alienam excipit. Quare non canali aquæ fluxum, sed fonti vnde manat tribuimus. Aliena aq̄ua canalis destitut⁹, aridus est, nihil sui humoris habet. Caro ergo Christi quā Caluinus canalem vitæ à diuinitate in nos fluē te fingit, sua natura inanis diuinitatis

*Caluinus Eucharistiæ nihil tribuit.*

 illi

est, & propterea signum eam tantum appellat. Quod quale & quàm verum sit, facile est iudicare ex eo, quòd Christus de sua carne dixit: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Quomodo quis manducatione carnis habet vitam, quam ipsa caro non habet, quæ tantum vitæ canalis, non fons, sit? Quomodo verè est cibus, si vitam non habet? quomodo verè potus absque vita? quid enim veritas nisi Christus? quid vita nisi Christus? Ego sum via, veritas, & vita. Si Christus vita, quomodo caro & sanguis eius absque vita? A diuinitate fluit vita, inquit, ad carnem. Alius igitur Christus Deus, in cuius diuinitate vita, alius Christus homo, cuius caro canalis est vitæ? Non vnus igitur Christus, sed duo: alius à quo vita fluit, alius per quem fluit? Et quidem Christus se panem viuum vocat, & verum, qui de cœlo descendit, & eum panem qui vitam dat. Nam seipsum carnem & sanguinem mutatis verbis

*Refellitur Caluinus Christi verbis.*

ap-

appellat, & pro toto partes vſurpat. Quomodo aũt quæ tótius ſunt à partibus aliena? Si panis qui de cœlo deſcendit dat vitam, non poteſt dici, partes ei⁹ panis vitã nõ dare: caro Chriſti pars eſt Chriſti. Quod conuenit Chriſto, cur idem carni non conueniat Chriſti? Nam etſi virtus illa viuificandi aliunde proueniat, quàm ex carne, nihil tamen obſtat, quominus & caro Chriſti vitam in ſe habeat, quam eius manducatione cõſequimur: quẽadmodum enim, etſi Chriſtus homo paſſus ſit, Deum eſſe paſſum & crucifixum dicimus. Et, filium hominis habere poteſtatem remittendi peccata. Quæ poteſtas, etſi à diuinitate Chriſti oriatur, filium tamen hominis dixit Chriſtus habere in terris poteſtatem dimittendi peccata: ita carni Chriſti tribui, & conuenire vitam cõfitemur, quæ abſque diuinitate, ex qua iuſtitia & vita fluit, non eſt. Nam ſi miracula quæ Chriſtus edidit, non ſolum eius diuinitati ſeparatim à ſancta ipſi⁹ carne, ſed etiam carni ipſius Diuinæ tribuuntur, ita & vitam quam operatur

*Caro Chriſti vitã habet.*

in nobis per Euchariſtię ſumptionē, & carnis ſuæ māducationem, ſanguiniſq; potationem, non ſoli eius diuinitati, ſed & carni eius attribuimus. Cogita piè (inquit) Cyrillus Alexandrinus, quod vnigenitum Dei verbum homo factum; etiam per propriam ſuam carnem, ſæpenumero efficax fuerit, vtpotè propriam ac ſpecialem ipſe habens, non per confuſionem & commixtionem. Sed quemadmodū anima operatur per proprium corp⁹, (nemo tamen dixerit ſolius animæ eſſe opera, tāetſi incitet ac moueat corpus ad opus, ſed vtriuſq;) ita etiam ſentiendum eſt de Deo. Nam ante incarnationem, nudum exiſtens per ſe verbum, opera edidit diuina: Homo aūt factum, per carnem etiam ſuam, operà edidit. Ita enim admouit manum cœcis, ita ſuſcitauit viduæ filium extenſa manu loculum attingens: ita luto ex ſputo facto, vnxit oculos cœci ab ortuita: diuinitas eius, vita nobis danda, non excludit ab eo dono ea ementa & ſacramenta, quæ ille virtute ſua diuina, in ſuam carnem & ſanguinem,

*Aduerſus Anthropomorphitas ca. 22.*

nem, vt saluti nostræ seruiret, vertere, dignatus est.

*Cur Ecclesia constitutionem receptam defendat nec temerè Christi instituto, vrgentibus morem gerat, causæ exponuntur, ac tota disputatio Tridentini Concilij decreto concluditur.*

*CAP. X.*

SED de veritate corporis Christi, & diuinitatis, vitæque in carne eius existētia alius locus differendi erit, ad materiā propositam redeamus, atq; concludamus, vnius speciei sacramenti Eucharistiæ vsum legitimum, à Christo profectum, Apostolis vsitatum, in Ecclesijs frequentatum, & magis consensu omniū Ecclesiarum receptū, quam vlla vi aut Pontificum aut conciliorū populo obtrusum. Nō enim conciliū vllum, aut vis Pontificia, hanc rationē in vna specie decreuit, & præcepit, sed quod Ecclesia vltro omnium consensu faceret, approbauit, nec temere eam cōsuetudinem immutandam esse sanciuit. Si-

*Vsus alterius speciei vltro receptus.*

ue igitur alteram ſpeciem quis ſumat, ſiue vtramque, bene facit, Chriſti inſtituto ſatisfacit. Etſi enim quis manducat carnem ſolam, etiam ſanguinem potat: & qui ſanguinem bibit, carnem quoque edit. Sed dices, cum vterque modus communicandi legittimus ſit, & ſemper in Eccleſia liber fuerit, cur populo libertas ſub vtraque ſpecie communicandi eripitur? Cur liber vſus communicandi cuiuis vt vellet, more veteris Eccleſię non conceditur? Reſpondeo. Vt leges, ita conſuetudines receptas, & probatas, periculoſum eſſe, temerè mutare: ita & hanc conſuetudinem, præſertim à cõcilio approbatam, abſque incommodo Eccleſiæ, mutari nõ poſſe, neque dandam eſſe licentiam hominibus leuiſſimis, pro ſua libidine, laudatas & probatas conſuetudines, & conſtitutiones commutandi, deſerendi, & contemnendi. Neque enim hic leues homines, & nouandarum rerum, Eccleſiæq; turbandæ cupidi conſiſterent. Nihil tam firmum in Eccleſia inueniretur, quod non con-

uellerent, in quod pro sua petulantia & leuitate, non inquirerent. Quod videmus factum, aperta fenestra per Lutherum, in consuetudines & constitutiones Ecclesiæ inquirendi. Non solũ ea quæ hic sunt perturbauimus, sed etiam in filij Dei naturam inquirimus, à complexu patris eum auellimus. Ecclesia mater benigna, vt modestè petentibus nihil negat, ita arroganter agẽtibus, ac vi rapientibus nihil concedit. Semper temeritati, inconstantiæ, & petulantiæ hominum Authoritatem suam opponit. Non ademerunt illa Cõcilia, Constantiẽse & Basilien. spẽ pijs hominib⁹ cõmunionis sub vtraq; specie: Non sustulit deniq; Sacrosanctum Conciliũ Tridẽtinũ, sed eã legẽ apposuit, vt si quis vellet vtriusq; speciei vsum sibi concedi, credat vt credat pinde esse, si altera tãtum vsus fuerit, quasi vtraque, vtatur. Credatq;, vt in vtraq; sit totus & integer Christus, ita & in altera totum ac integrum esse, & in carne viua sanguinem eius, in sanguine carnẽ esse. Neq; eos reprehendendos damnandosq;,

*Ecclesiæ arrogantiæ fores claudit, humilitati patet.*

qui vnam ſpeciem ſumant, imò ita probādos, quam ſi vtramq; ſumerēt. cum ob alias multas, tum vero ob hanc præcipuè cauſam Neſtorius dānatus, quàm quod carnem Chriſti ſine ſanguine eſſe crederet, & ſanguinem abſq; carne. Quod idem iſti qui vtramq; ſpeciem flagitāt, faciunt. Dū enim non integrum Chriſtum putāt ſub vna ſpecie ſumi, ſed partem tantū ei⁹, in Neſtorij errorē prolabūtur. Ad quem euertendum Concilium Epheſinum ſub vna ſpecie communicationem inſtituit. Hoc errore, & hac hæreſi ſemota, modeſtè à ſummo Pontifice, communionē vtriuſq; ſpeciei poſtulantibus, & eam fidem de altera ſpecie profitentibus, poſſe concedi Concilia illa cenſuerunt. Habet certè Eccleſia iuſtas cauſas, cur potius vnā ſpeciem vulgo dat, quam vtramque.

*Neſtoriani noui.*

*Cauſæ negatæ vtriuſq; ſpeciei vſus.*

Non vult dare occaſionem reſuſcitandæ hæreſis Neſtorianæ, non vult putare Chriſtum eſſe diuiſum, & non totum ſub altera ſpecie vidit aſſeruationem calicis ſine periculo, & cuſtodiri, & populo dari non poſſe. Non apud

pud omnes nationes vinum nasci, plerosque esse, qui non solum gustando vino abstineant, sed etiam odorem eius non ferant. Non desunt aliæ causæ propter quas vltrò fideles se abstineant à calicis vsu, specie panis sola contenti. Non ignorant Euangelici & causas intermissi calicis, & consuetudinis Ecclesiarum, ac consensus hominum: rudes non sunt, sed pro eorum natura hominum, qui libidine aguntur, qui leges conculcant, magistratui non parent, pacem & res quietas Ecclesiæ, & concordiam oderunt: tendunt in vetita, cupiuntq; negata, maximè illi, qui concordia rei Christianæ vigente, stare non possunt, qui discordijs, & malo publico aluntur, & quorum pietas quæstus est, qui ob auariciam & pecuniæ studium, & ambitionem, intemperantiam, in fide naufragium fecerunt, quos Dominus iudicabit. Nos interim huic operi, vt coronidem, quid Tridentinum Concilium de hac controuersia decreuerit, addemus, qui finis sit huius nostræ lucubrationis. Concilium

*Aduersarij.*

*Qui Ecclesiã turbant.*

Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 2. Prætereà declarat Sancta Synodus, hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, vt in Sacramentorum dispensatione, salua illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientiũ vtilitati, seu ipsorum sacramentorũ venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire
1.Cor.4. iudicaret. Id autem Apostolus nõ ob-
2.Cor.6. scurè visus est innuisse, cum ait: Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorũ Dei. Atq; ipsum quidem, hac potestate vsum esse, satis constat, cum in multis alijs, tum in hoc ipso Sacramento, cum ordinatis nonnullis circa eius v-
1.Cor.11. sum. Cætera, inquit, cũ venero disponam. Quare agnoscens Sancta mater Ecclesia, hanc suam in administratione sacramentorum authoritatem, licet ab initio Christianæ religionis nõ infrequẽs vtriusq; speciei vsus fuisset: tamen progressu temporis, latissimè iam mutata illa consuetudine, grauibus & iustis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie commu ni-